SYLVIUS

MORBI ARTICUL

1565



Francisci Looker Chirurg.

DE MORBI ARTICVLARII CVRATIONE TRACTATVS QVATVOR,

Ioanne Syluio Insulensi, medicinam Valentianis facienti, auctore.

Eiusdem de morbo Gallico declamatio Louanij in disputationibus solennibus habita. Anno, M. D. LVIII. 18. *Kalend. Ianuarij.*



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
M. D. LXV.

Privilegii tenor:

Sancitum est diplomate Regio, ne quis librum, *Ioannis Syluij Insulensis, De morbi articularij curatione*, in omnibus hisce suæ maiestatis ditionibus intra annos proximos sex vllo modo imprimat, aut alibi impressum importet, aut venũ exponat; præter Gulielmum Siluium typographum Regium, cui tantum hoc Priuilegium irrogatum est. Qui contra hæc faxit, pœna ex sanctione multabitur; & libri impressi, aut inter promercales habiti, fisco addicentur. Datum Bruxellæ xxix. Maij, Anno 1564. Signat.

G. VVouvvere.

FRANCISCO RICHARDOTO ATREBATENSIVM EPISCOPO INTEGERRIMO, ATQVE DOCTISS. IOANNES SYLVIVS, S. D. P.

DVÆ NOS POTISSIMVM RAtiones induxerunt, Francisce Præsulum decus eximium, vt hos labores nostros, rudes licet, & impolitos, nomini tuo consecraremus. Harum altera fuit, quòd humanitatis, atque candoris tui tanta erga nos extent argumenta, vt nisi hac via (neque enim alia possumus) nos ingrati animi turpem notam effugere tentemus, eam nobis meritò inurendam permulti censeant: Altera quòd quum videamus alios, etiam ex vetustæ consuetudinis præscriptione, virum aliquem auctoritate, & nomine grauẽ cui libros suos commendent, solicitè quærere: nobis sanè ex necessitate, patronum aliquem huic nostræ fœturæ quærẽdũ existimarim. Quærẽti verò tu vnus inter reliquos omnes (bono, opinor, Genio aspirante) præcipuè occurristi, cui opusculũ hoc committerem. Tantus enim est auctoritatis, atque dignitatis tuæ splendor, vt facilè obtrectantium oculos perstricturum tui nominis titulum, in fronte ascriptum sperauerim. Quod maximè nobis vsui fore satis intelligo: quum non dubitem, quin bona pars eorum qu nostram hanc de articularij morbi curatione institu

 tiones

tionem lecturi sunt, exclamet protinus nos somniare, delirare, aut malis intemperijs agitari, qui ipsius morbi humoris qualitatem, sedem, defluxionis modum, situm, atque etiam curationem, præter antiquorum, & ferè neotericorum omnium sententiam tradiderimus. Sed magna spes habet animum nostrum, eos nonnihil de sua in libellum hunc morositate, & seueritate remissuros, vbi in ipso frontispicio tanti viri, tamque præclari titulum conspexerint. Quin & eadem forsitã caussa, ab ijs impetrare licebit, vt librum ipsum paulò attentius degustẽt, priusquam reijciant, aut damnent: cum præsertim hac nostra memoria non desint permultorum exempla, qui aperto (quod aiunt) Marte ipsius Galeni, & antiquorum compluriumi sententias oppugnare, & confutare ausi sunt. Atque hi tamen Creticorum graues censuras non tantùm effugerunt: sed ratione in consilium adhibita, olei, & operæ suæ βραβεῖα obtinuerunt. Andreas ille Vesalius nostra ætate humani corporis dessector clarißimus, quoties, dij boni, Galenum in sua anatome, medicorum etiam applaudente schola, vellicat, & mordet? Nunc eum, quod in Euripide deridendo potius quàm spectandis oßibus occupatior fuerit, accusat: nunc duo brachij ligamenta ignorasse, asserit: nunc simiæ, & hominis anatomen confundere clamitat. Aliàs etiam de cerebelli simplicitate vanam eius esse rationem affirmat. Quin & eò audaciæ tandem deuenit, vt asseueret (quod & apud Amatum

Lusita-

Lusitanum medicum sanè celebrem, legimus) Galenum humana corpora nunquam dissecuisse, eiusque de anatomicis administrationibus libros simiarum potius, vel canum esse, quàm hominum. Sed quid dicemus, quod lib. 4. de locis affectis cap. 1. tradat opticos neruos conspicuos habere meatus? Cùm tamen olim viri doctrina, famaque nobilis Nicolai Biesij admonitu reipsa compererimus planè solidos fuisse? Rursus Mathiolus ille Senensis rei herbariæ indagator diligētißimus, quàm turpiter, & sæpe lapsos in suis plantarū, stirpiumque historijs Leon. Fuchsium, Brassauolum, Cornarium, Cordum, Leonicenum, Manardum, Marcellum, Ruellium, Bellonium, & alios plerosque neotericorum exclamat? Imo verò neque antiquiores ab eius vellicatione immunes euadunt. Plinium sæpe fodicat, Auicennam crebrò redarguit, Serapionis, & Theophrasti ab eo sententiæ non rarò reprobātur. Quin & Galenum ipsum sæpe suggillare ausum comperiet, qui illius in Dioscoridem commentarios legere voluerit. Atqui hæc cùm designarit, tantū abest, vt Aristarchorū censura caussam dicere sit coactus, vt etiam præmio donandus à doctis iudicetur. Certè ingeniū (vt inquit ille) vbi intēditur, valet. Nullum reperiri posse fatemur, qui in summa præstet quod præstitit Gal. Sed si singula expendas, permulti extiterunt qui nonnulla absolutius perfecerunt. Quare minimè mirum videri debet, quod Ioannes Fernelius Philosophus absolutißimus & mate-

riæ medicæ indagator acutißimus, poſtquam omnibus ingenij, & mentis viribus articularij morbi eſſentiam perſcrutatus eſſet, aliquid de ea pronuntiauerit quod à paucißimis animaduerſum, aut traditum fuerit. Quum præſertim tam validis, tamq́ue rationi conſonis argumentis fulciat quæ ſcribit, vt niſi quis ceruice ſit pluſquā adamātina, in eius ſentētiam, non modo pedibus ſed toto corpore deſcēdere debeat. Ego ſanè vbi ab aliorum multorū lectione, me ad ea quæ de arthritico malo ſcripta reliquit, tranſtuliſſem, percepi virum ſummo ingenio præditū incredibili labore huius morbi originem, et materiam inueſtigaſſe. Quū reliqui propè omnes, aut minus anxiè, aut ex aliorum ſententijs de illis fuerint loquuti. Atque vtinam viro ſuperſtiti tam diu fata peperciſſent, dum morborum curationes (nam & id ei in animo fuiſſe, ex eius intimis amicis accepi) ſcriptis mandaſſet. Nihil vnquam arbitror medicinam facientibus vtilius, aut magis neceſſarium in lucem emitti potuiſſe. Tametſi bona ex parte, veluti protenſo digito nobis arthriticæ afflictionis curationem demonſtrarit, dum eius cauſſam, dum ſigna, dum noxij humoris qualitatem, dum locum in quo reſideat, dum denique per quas vias ille ad articulos permeet tam conſummatè nobis deſcripſerit. Ego quidē, hac ſtrata via, hoc quidquid eſt operis lubentius, atque ſecurius aggredi ſum auſus. Prius tamen (vt ingenuè fatear) ſuper hac re viris aliquot conſultis arte medica illuſtribus: Sed præ-

cipuè

cipuè Nico. Biesio, & Gabriele Ayala. Quorum hic modo in celebri Antuerpiensium emporio maxima cum laude medicinam exercet, vir me hercle comitate, modestiaque prorsus amabilis, & supra medendi artẽ etiam poëseos (vt iam libri eius aliquot, quos luce donauit, carmine in re medica doctißimo, & fœlicißimo conscripti, testantur) peritißimus: Ille verò in academia illa Louaniensi artem medicam tanta dexteritate, & tam amplis Hippocratis, Galeniq́ue opibus instructus profitetur, vt auditores suos (quemadmodum & ipse testari possum) in maximam sui admiratiouem adducat, trahat, rapiat. Sed huius viri laudes, vel me tacente, satis, superq́. decantaturi sunt libri doctißimi qui iam frequẽtibus hominum manibus teruntur. Horum igitur vtriusque potißimum vsus perbenignè consilijs, & suasu, manũ tabulæ apposui. Quod mihi præcipuè persuasissem me his laboribus sudoribusq́ue φιλιάγροις posse gratũ facere, & magna ex parte abolere vetus in nos conuitium istud: Podagram medicos occæcare. Quòd si me spes mea frustrata fuerit, id saltem, puto, ab ingenti tua humanitate consequar, vt hoc qualicũque conatulo, Syluio, referendi tua in eum collata beneficia, voluntatem nequaquam defuisse, intelligas. Ad quæ quidem omnino animum adijcere me oportuit. Quandoquidem & si nullis à te beneficijs prouocatum, huius opusculi tamen dedicationem amplitudini tuæ me debere ingenuè mihi fatendum sit. Propterea quod erga literas,

literatosque tam propensus sit vsque tuus fauor, vt nulli ferè studiosorum illum deneges: quòd ipse videlicet literarum omnium ornamentis ampliter excultus sis. Siquidem id euenire plerunque semper videmus, vt quo magnates in literarnm viridarijs magis versati sunt, eò impensius Mineruæ cultoribus faueant, & propitij adsint. Nimirum illud est quod dici solet, ὅμοιον ὁμοίῳ ἐφίεται. Porro tibi quàm sint apertæ Musarum ianuæ, vel ex hoc constare poterat, quod verè episcopi munere fungens, dum sacra ad populum è suggestu verba facis tanta dicendi vbertate, tantaque eloquij gratia polleas, vt tanquam flexanima Pitho, aut Hercules ille Gallicus auditorium, quasi attonitum, facile quouis pertrahas. Nihil enim est tam abstrusum, nihil tam reconditum in Philosophia tum diuina, tum humana, quod non disertißimè, & eruditißimè explicare poßis, siue id vernaculo, siue latino sermone præstare lubitum sit. Iam quod in nouam hanc Duacensium academiam (qui populus diocesi tuæ paret) ita affectus sis, vt dum arduæ eius erectioni incumbis grauißimas molestias, improbißimosque labores, etiam pecuniæ dispendio coniunctos, magno, flagrantique animo subire non detrectaueris: nonne & id eximiæ in te virtutis, desiderijque episcopi officium obeundi argumentum extitit? Cum enim hoc sæculo innumeri propè sint hostes, qui (proh dolor) fidem nostram, hoc est, Christianam dolosis cunicu-

cuniculis oppugnẽt: vidit prudentia tua nullis armis, nullisque præsidijs acrius illis obuiam iri posse, quàm comparatis vndique literatorum agminibus: quibus istos perniciosæ zizaniæ seminatores à finibus tuis procul arceres. Cæterum virtutes has, licet sanè eximias, adæquant humanitas illa tua ingens, atque modestia, quibus regionis nostræ hominibus tam gratus, tamque iucundus iam eras effectus, vt non sine grauissimo animi dolore passi sint te à nobis diuelli, dum nuper ad sacrosanctam synodum Tridentinã te reciperes: etsi eis, qui vicariam tibi operam præstaret, D. Ludouicũ Porinum virum summa probitate, & iuris vtriusque peritia celebrem, relinqueres. Neque sanè inuitus apud tui amantissimos, remansisses, nisi Pontifex Maximus, atque etiam curia regia precibus te minacibus eò perpulissent. Intelligebant siquidem illi quanti interesset te vitæ maxima integritate, ingenio acri, & prudenti, eruditione rara, facundiaque penè ineffabili præditum, non desiderari, vbi de rebus tam serijs tam seriò tractaretur, ac decideretur. Deum autem opt. max, cuius nutu hæc geri scimus, obsecramus, ac suppliciter obtestamur, vt pijssimis tuis conatibus, eorumque qui istic tecum sunt, felicem, atque Reipublicæ Christianæ salutarem exitum sortiri tribuat, ac tandem patriæ, subditisque tuis incolumis restituaris. Vale antistes præclarissime. Vallencenis. die diuo Ioanni Euangelistæ sacro. Anno M. D. LXIII.

LAVRENTII DACHOLII
TETRASTICHON.

Hactenus inuictas vires tutata podagra,
Elusit medici spicula densa gregis.
At nunc illa tuis, Silui, confixa sagittis,
En tibi dat victas iam superata manus.

IOANNIS SYLVII INSVLENSIS DE MORBI ARTICVLARII CVRATIONE, TRACTATVS PRIMVS.

De arthritidis,& specierum eius definitione. CAP. I.



QVIA IN QVAVIS DISCIPLINA cauendum est,ne per ignota procedamus: consultum esse duximus, in ipso institutionis nostræ frontispicio, quid arthritis, quidúe eius species essent, explicare. Arthritis igitur morbus est, qui articulorum substantiam infestat. Atque ob id à Latinis morbus articularis, aut, Pliniano more, articularius dictus est. Vnde generis naturam obtinere extra omnem controuersiam est. Eius autem species etsi articulorum numerum adæquare possint: quia tamen tribus duntaxat vsus nomina imposuit,reliquas arthritidis generis sui appellationem subire medici sanxerunt.Quibus verò nomina indidere,sunt hę:Podagra,Chiragra,& Ischias. Podagram autem definiuere, cum in pedum articulis, maximè verò pollicis, fluxio constiterit. Chiragram,cùm humor ipse manus carpum, vel externam eius partem, vel digitorum articulos, ac vincula aggrauat.Ischiadem autem(quam latinę puritatis securi Sciaticam, sicut & Ischiadicos,Sciaticos,nominãt) vbi dolor circa iuncturam, quam Græci ἰσχίον,Latini coxam, aut coxendicem appellant, excitatus est. Est autem coxa (Gal.com.2.in lib.de fracturis definitore) os illud quod caput femoris excipit. Articulus verò ab eodem lib.de ossibus finitur,naturalis

ossium compositio: Et articulatio, lib. 12. de vsu partium, ossium compositio, propter modum voluntarium facta. Cęterum quo pacto, & ex quibus illa fiat, pulcherrimè & fusissimè Ioan. Fernelius, vir pręstanti ingenio, magnæq. virtutis, lib. 1. suæ Physiologię, cap. 2. tradidit. Quanquam in Vesalij viri me hercle diligentissimi, elaborata anatome nullum lumen, quo negocium istud manifestari possit, quisquã desideret. Quare te inde petere, si quid hîc amplius forte requiras, monemus.

De morbi articularis causis,

CAPVT II.

VARIAS, ac multiplicitate intricatas apud scriptores reperimus huius affectus causas. Sed vt in re non vsqueadeo difficili, clariores essemus, tædiosam verborum congeriem reijcientes, rem quàm potuimus arctissimè omnem complexi sumus. Duas igitur tantum huius morbi caussas præcipuas, & necessarias assignauisse nobis visum est satis. Quarũ prior humorum est redundantium vitium: posterior articulorum imbecillitas. Porrò humorũ vitiatam exuperantiam crapula, vini feruidi (maximè, teste Gal. si quis eo ante præsumptum aliquem cibum vtatur) aut potus arte fumosi intemperantior vsus: deinde somnus immodicus, & qui præcipuè statim à pastu inuadit: hinc otium nimium, aut solitarum exercitationum intermissio: consuetarũ vacuationum retentio, imminutioue, &, vt vno verbo dicam, quæcunque perfectæ cõcoctioni aduersantur, procreare sunt maximè apta, & idonea.

Altera autem caussa, nimirum articularis imbecillitas, & laxitas frequentissimè à parentum Arthriticorum

corum languido,& imbelli ſemine in ipſos fœtus diriuari ſolet. Siquidem, Hip. lib. de aëre, regione, & aquis teſte, ſemẽ genitale ab omnibus corporis membris, à ſanis quidem ſanum, & à morbidis morboſum, excernitur. Quantum tamen hîc imperium obtineat rei Venereæ, viniq́ue immodicus, & intempeſtiuus vſus, vel apud Græcos iactatum hoc diſtichon poteſt abunde docere,

Λυσιμελοῦς βάκχου, καὶ λυσιμελοῦς Ἀφροδίτης
Γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

Idipſum verò nos ita Latinũ facere conati ſumus:
Soluentis Bacchi, Veneris ſoluentis & artus
Hos itidem ſoluens nata Podagra fuit.

Quòd ſi quis iſtud ipſum ex medicorũ principibus diſcere malit: Hippoc. audiat lib. 6. aph. 28. hoc modo loquentem: Propter Veneris abſtinentiam Eunuchi podagra non infeſtantur. Rurſum eiuſdem lib. aphor. 30. Pueri podagra non laborant, ante Veneris vſum. Cuius quidem rei cauſſam, ne quis forte deſideret, reddit Gal. ipſe lib. 1. de ſemine cap. 13. Quòd nimirũ in concubitu vnà cum ſpermate multa ſpirituum vitalium copia excernatur: vnde corporis perfrigeratio, & cruditatum coaceruatio cõſequitur, ex quibus & partium imbecillitas proueniat neceſſe eſt. Deinde quàm non cedat Bacchus, aut Comus ipſi Veneri in hoc malo progignendo, in eorundem aphor. comment. Galenũ abunde docere, quiſquis ea lecturus eſt, fatebitur. Nam cum Hippocratis quidem ſæculo concedat verum fuiſſe Eunuchos podagra nõ laboraſſe: hoc ideò eueniſſe ſcribit quod ipſi vitæ temperantia, & moderatione ſumma vterentur. Sua verò ætate auctis delicijs, luxu, voluptatibus, atque adeo helluationibus eos nequaquam à podagri-

podagricis doloribus immunes fuisse. Porro quæ ibidem scribit, huc quoque adduxisse, non parum nobis emolumenti allaturum videtur: quod ad morbi etiam cognitionem multum faciat. Id autem est: Neque partium imbecillitatē seorsum, neque humoris excrementosi redundantiam generandæ Arthritidi posse sufficere: sed vt vtrunque coniunctis eodem tempore viribus, ægrum infestet, opus esse. Atque id tam euidentibus probat argumentis, vt nemo sit, qui non facilè in eius sentētiam descendat. Quare ijs supersedere, & lectorem eò remittere, consultius videbatur. Priusquam tamen aliò sese nostra recipiat oratio, maximum operæpretium duxi, in medium producere quid de his caussis Fernelius ipse suæ pathol. lib. 6. doctissimè, & grauissimè tradiderit. Is enim præter humoris exuperantis Procatarticas caussas, etiam Interiores constituit. Nimirum cerebri, totiusque capitis imbecillitatem, & frigidam, humidamque intemperiem. Humor enim, inquit, vel alimenti vice, capite exceptus, quum hęc vitia adsunt, totus confici non potest, ex eoque necesse est excrementum tempore gigni, atque cumulari, quod accedentibus supradictis caussis Externis fluxioni fit obnoxium. Quod autem ex Galeni sententia suprà dictum sit tam insignem noxam vini potentioris intempestiuū vsum aduehere: caussam ipse Fernel. huc transfert: Quia nempe caput impleatur, & nerui, mēbranæque feriantur. Sed qua ratione hæc ab eo dicta sint, suo loco ostendemus.

De humo-

De humoris ad articulos collabentis qualitate. CAPVT. III.

QVALIS auté is humor ſit,qui tam atrox,tamque pertinax bellum , idque ferè per interualla,articulis inferat,non parua exiſtit inter medicorum Corypheos controuerſia.Bona ſiquidem pars tum veterum,tum neotericorum varium,ac iuxta quatuor humorum numerum,multiplicem conſtituere videtur, atque arthritidis materiam nunc bilioſam, nunc pituitoſam,nunc ſanguineam, imò & melancholicam, quandoque aſſeuerare . Quidam verò , quanquam pauci , rem ſecus ſeſe habere , comperiſſe exiſtimantur . Certè Aretæus ille Cappadox,quem ante Pauli Ægin.& Aëtij tempora floruiſſe conſtat , nobis ſcriptum lib.2.diuturnorum affectuũ de arthritide cap. 12.hoc modo relinquit: Videtur auté caloris,aut frigoris differentiã præ ſe ferre : ſiquidẽ modò ex calore,modò ex frigore voluptas percipitur.At mihi placet,inquit, vnicã eſſe morbi cauſſam, inſitam frigiditatem,vnicumque eſſe affectũ.Hęc ille.Cæterũ quonam modo in ipſis articulis, ex materia planè frigida, calor quidã ,& ſępè intẽſus oboriatur: quia Fernelius eadem cum Aretæo ſentiens , dilucidè demonſtrat vtile duximus fore ipſius verba , cum eis , in quibus Aretæo conſentit,his ſubnectere . Sic igitur ait: Neque porrò humor hic , Continens arthritidis cauſſa, tam varius , atque traditur, exiſtit : nec enim ſanguineus , nec bilioſus , nec melancholicus vnquam eſt, ſed omnino vel pituitoſus, vel ſeroſus,&, vt metipſe paulò infrà dicit, ei perſimilis, quem frigidiore cœlo è cerebro per nares fluere cõperimus. Sed ipſe pergit inquiens: Perperamque arthritidis differentiæ ex humoris genere ſtatui ſolent : vt alia calida, alia frigida

ſit,

ſit, ſed omnis frigida eſt ex frigido humore genita. Deinde ſubdit, Quòd ſi rubor, aut calor interdum, maximéque in podagra, aut chiragra cernitur, is non ex morbi eſſentia, ſed ex vehementia fit doloris, qui ruborem, caloremque, nonnunquam & febrem acceſſit: quæ potiſſimum ijs eueniunt, qui conſtitutionem corporis obtinent impensè calidam, atque plethoricam, & qui leni occaſione febre iactantur. Hæc ille. Porrò ſi ipſius Galeni de comp. pharmacorum ſec. locos lib. 10. verba recta bilance perpendere quis voluerit, comperiet perplexè admodum, & quaſi nutantem, aut potius ſui temporis medicorum ſententijs obſequentem de differentijs illis fuiſſe locutum. Siquidem de humoribus ipſis infeſtãtibus loquens, melancholici omnino non meminit, neque bilioſi ſingularis. Dicit quidem quod aliquando humor irruens ſanguineus ſit: ſed ilico quaſi dicti pœnitens ſubdit: vt plurimum verò pituitoſus eſt. Fateri quidem poſſemus in corpore, ſanguine, aut bile aucto, pituitoſum ipſum humorem nonnihil ſecum ſanguinis, aut bilis conuerrere poſſe: ſed tamen pituitam ſolam cauſſæ appellationem ſibi vendicare. Neque id ſanè mihi à Fernelij ſententia diſcrepare videtur ſuprà dicentis: A dolore ruborem, calorem, atque febrim accerſiri, in ijs potiſſimum, qui iam corpus ad ea præparatum habent. Sed quid dolorem ipſum faciat, etiam dicẽdum eſt. Is igitur inde oritur, quòd humor ipſe collapſus articulorum vincula, membranas, aut tendones impleat, atque diſtendat.

Vnde,

Vnde, per quas vias, & quo influat humor arthriticus. CAPVT IIII.

PORRO ad huius mali profligationem (eò enim, veluti ad ſcopum quendã tela noſtra diriguntur omnia) multum intereſſe videtur, vt ſedem, è qua deriuatur eius materia, perſpectam habeamus. Nam propter illius ignorantiam fit, vt non tantum viri idiotæ, ſed & mulierculæ colo aſſidẽtes, & lanæ non vereantur proclamare, in podagræ curatione medicorum turbam cæcutire. Quibus quidem opprobrijs id mali eſſe incurabile, & in eo medicorum conatus omnes vanos, & irritos eſſe, ſignificare volũt. Sed quàm iniuſtè, & temerè id faciant, infra demonſtrabimus. Modò autem vnde, & per quas vias, atque etiã quò humor ille noxius influat, dicemus. Non iniuria etenim dixit Fernelius ſibi adhuc viſum eſſe neminem, qui id ad vnguem inueſtigaſſet. Certè ego, poſtquam multorum ſuper hoc affectu ſcribentium libros peruolitaſſem, paucos admodum inueni, quibus id curæ fuerit, vt eò penetrarent. Demetrius quidem Pæpagomenus, ſed veluti Phœnix vnicus inter reliquos ἐν τῷ αὐτοῦ περὶ τῆς ποδάγρας συντάγματι ad Imperatorem Michaelem Palęologum, ex recrementis quæ in ſingulis corporis partibus naſcuntur, humorẽ ipſum arthriticum gigni ſcripſit. Sed huius ſententiæ Galenus com. lib. 6. aphor. 28. nobis planè reclamare videtur, Arthriticos dicẽs ferè omnes prius fieri podagricos. Aëtius verò etiã Galeno apertius & grauius, his verbis, refragatur. Cæterum, inquit, initio à pedibus ſumpto, paulatim ad genua malum procedit, ad coxendicum item, ac femorum iuncturas, deinde ad manus. Quin & ipſe Auicen. in eandem ſententiam loquẽs lib. 3. fen. 22. manifeſtò aſſerit, quod quicun-

que fiunt Arthritici, primò podagra corripiantur. Quòd si à singulis corporis partibus humores illi oboriantur, cur non ęquali tempore, aut etiam citius, chiragra, iſchias, aut arthritis reliqua corporis articuſamenta infeſtans, enaſcũtur? Audiui equidem nonnullos, eoſque me herculè viros grauiſſimos affirmantes, id efficere pedum diſtantiam à calore naturali: vnde maturior pedum artuum debilitas conſequeretur. Sed eorum rationem experimenta quotidiana confutant. Cum enim chiragræ ſedes à calore naturali amplius diſtet, quàm Iſchiadis, frequenter tamen accidit vt nondum nata chiragra Iſchias oborta ſit. Quod etiam Aëtius innuere voluit, cùm ſpecierum arthriticarum ordinem conſtituens, primo loco Podagram poſuerit, ſecundo Iſchiadem, & poſtremo Chiragram. His itaque diligenter conſideratis, tutius atque etiam conſultius cẽſemus ipſius Fernelij ſuper hac re ſcita amplecti. Is autem poſt efficaciſſima argumẽta (ad quæ lectorem remittere, quàm prolixitate offendere, maluimus) tandem meritò aſſerit huius pernicioſi humoris ſedem, & veluti caſtellum, caput eſſe. Non quidem, vt ipſe inquit, cerebrum, aut interiores eius ventriculi, in quibus pituitoſum excrementum cumulari, coaceruariquè ſolet (hoc enim vel foras per nares, vel per palatũ in aſperam arteriam, atque pulmones, aut in ventriculum, interioreſque ſedes illabitur) ſed partes capitis externæ, & extra caluam poſitæ origo ſunt Arthritidis: è quibus ſuperuacaneus humor per ſumma corporis ſub cute deorſum decurrit. Venæ enim multæ ab externis iugularibus deductæ eò excremẽta ſua tenuia, atque ſeroſa deponunt. Quumque capitis craſſa, denſaq. ſit cutis è qua capilli ſuccreſcunt, non, quemadmodum

admodum è reliqua corporis cute, illinc facilè humor expiratur. Tempore igitur cumulatur copiosior, in ijs maximè quibus gignendi eius euidentes causſæ conueniunt. Porrò huic Fernel. ſententiæ proximè accedit Ioan. Goenrotus Franciſci Valeſij Galliarum regis quondam medicus celeberrimus, in ſuo de curandis morbis familiaribus lib. cap. 11. in quo morbi articularij curationem moliens, humoris arthritici ſedem eſſe cerebrum, tanquam membrum mandans conſtituit: quod quia craſſæ, & humidæ ſubſtantiæ exiſtit, humorum exuperātiam facilè procreare ſcripſit. Quin idē in præcautione inſtituenda, cerebrum præcipit ſingulis mēſibus catapotijs quibuſdam à redundantibus humoribus liberari, caueríque pharmacis congruentibus, ne ſumpto cibo fumi cerebrum ipſum impetant. Sed cur in articulis ipſe humor, & non in alijs partibus medijs reſiſtat, deſinet admirari qui cōſiderabit articulos ipſos compactæ, & denſæ eſſe ſubſtantiæ, quum mediæ regiones laxæ, amplæ, & permeabiles exiſtant. Rurſum quomodo è ſummo ad infima initiò, intactis medijs articulis, delabatur humor ille, etiam dicendum videtur, & puto omnino facile futurum. Quis enim neſcit illum dum recens aduenit, in iuuene, aut viro (præſertim in regione, aut tempore calidiore) eſſe ſubtiliorem, & liquidiorem? Ac proinde eatenus ſenſim fluere dum obſtaculum certum, & ſatis pertinax, cuiuſmodi pedes ſunt, reperiat? Sed tamen temporis ſucceſſu, obrepēte ſenecta, quū corpus frigidius efficitur, nemini dubiū eſſe poteſt, quin ille quoq. frigidior (maximè in regione, & tempore frigidioribus) & craſſior euadere debeat. Atque tunc manifeſtum eſt non tam repente poſſe ad infima defluere, ſed in

mediarum regionum artubus reſiſtere. Adde quòd in morbi principio (vt rectiſſimè Aëtius monet) partes adhuc robuſtiores humorem inimicum à ſe depellere, & ad pedes deturbare poſſunt, ſed aſſiduo tandem motu defatigatæ eum admittere, atque recipere cogãtur. Atque tum demum dolor (aperto Marte iam inuadẽte morbo) ſentitur è ceruice vel per humeros in manuum, aut cubitorum articulamenta, vel per dorſum in coxas, genua pedeſque paulatim deuolui. Neque verò hoc loco negligendum putaui, humorem ipſum fluxioni accinctum ad id latus ſeſe recipere, cui æger ſæpius incumbit. Quod ſi ſupinus fuerit decubitus, tum (Fernelio teſte) in ceruicem, ſcapulas, coxẽdices, vel crura defluxui fiet: ſi in dextrum latus, dextrum humerum, brachiumque dolor impetit: ſi in ſiniſtrum, ſiniſtrum. Neque verò humor è dextro, in ſiniſtrum, aut cõtrà vnquam demigrat: Sed ſi recedente dextri dolore, ſuccedat ſiniſter, id ſanè fit noui humoris affluxu, non loci permutatione. Supereſt modo, vt quam occupet ſedem humor iam collapſus, minutiùs aperiamus. Id enim non ignoraſſe, ad morbum curãdum pertinere putamus. Poſtpoſitis igitur complurium medicorum ſuper hac re ſententijs, & ambiguis, & tenebricoſis, quæ certiſſimè & clariſſimè (noſtro quidem iudicio) ſcripto mandarit Fernel. huc adducemus. Hic autem, inquit, qui Continens eſt doloris cauſſa, nunquam, aut admodum raro in id cauum, ac ſpacium penetrat, quod inter oſſium extrema interuenit, ſed in vincula duntaxat, atque in eas mẽbranas quæ extrinſecus oſſium extrema nectunt, & ambiunt, ac etiam in tendones eò directos: hoc ſanè argumento quòd in nodoſa, tophaceáue podagra, atq. chiragra, humor in calculũ

iam concretus,aperta,ruptáue cute plerumque eruitur è digitorum articulis, vinculo integro, ac illæso. Et in Iſchiade ſi noxius humor in coxendicis pixidem conditus eſſet, nec tam vehementem (quod vinculum obtuſi ſit ſenſus) nec tam latè diffuſum dolorem inueheret. Inuehitur autem, quemadmodum ſub finem vltimi tractatus fuſiùs dicetur, interdum per femur, & crus ad extremum vſque pedem.

Morbi arthritici futuri ſigna.

CAPVT V.

ARTHRITIS iam enata tam claris, tamque manifeſtis ſignis ſe ipſa prodit, vt nullo omnino indice opus habeat. Sed quia futuræ, & iã propinquę (qualis eſt, vbi paroxyſmus ingruit) non perinde ſunt ſigna euidentia: ideo nos ea iam in medium producemus, aut, vt verius dicam, traducemus; quia ex Fernelij ſcriptis allata. Cumulati, inquit, iam humoris ſigna ſunt: capitis grauitas & ſomnolentia, dolor externus, & qui cõtractu, præſertimque inuerſis capillis exacuitur. Tumor œdematoſus interdum, vt cera mollis, cuti præſertim ad occipitium ſubiectus: cutis denſa, nec caluæ propius adhærens. Sic Fernelius. Sunt tamen præter iam enumerata & alia nonnulla ſigna, ſed quæ ex ipſis, quas ſuprà demonſtrauimus, cauſſis facilè deprehendi à medico poſſe exiſtimauimus. Ideoque illis modò ſuperſediſſe videbatur conuenientius. Cæterum, ne id lectori fortaſſe fuerit in mora, œdema eſt (vt ſcripſit Gal. ad Glauconem. 2.) fungoſus, & abſq. doloris ſenſu tumor ex pituitoſo humore cõſtans. Cuiꝰ quidẽ ſigna ſunt: tumores molles impreſſioni digitorũ cedẽtes & tardè reſurgẽtes: vt videre eſt in pedib. & tibijs hydrope laborantium.

De morbi arthritici præſeruatione.
Tract. II. CAPVT I.

QVIBVS ex parentum imbelli & vitioſo ſemine articulorum imbecillitas, laxitasúe obtigerit, eis neceſſarium eſt, vt accuratè cæteris huius mali perpenſis cauſſis, maturè illis contraria opponant. verbi gratia. Crapula, & potus immodicus, maximè vini (vt ſuprà dictum eſt) æſtuãtioris, cumulandi in capite arthritici humoris cauſſæ exiſtunt: temperantia igitur, & frugalitas, velut neceſſariæ comites, nobis ſolicitè accerſendæ ſunt. Quoniam hæ, præ cæteris remedijs, tantam habẽt, in huius morbi præſeruatione, & profligatione, energiã, vt ſcripſerit Diuus Hieronymus, morbo articulari, & podagra laborantes quoſdam, proſcriptione bonorum, ad ſimplicem menſam, & pauperes cibos redactos, conualuiſſe. Caruerãt enim, inquit, ſolicitudine diſpẽſandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangũt, & animam. Alexander quoque Trallianus multos ſibi viſos aſſerit, qui ſola vini abſtinentia podagram impendentem arcuerint. Scriptum deinde nobis reliquit Corn. Celſus quoſdam, cùm toto anno à vino, mulſo, Venere temperaſſent, totius vitæ ſecuritatem fuiſſe conſecutos. Narrãt denique nobis veterũ hiſtoriæ M. Agrippam, in vltima ſuorum annorum ſerie grauiter arthriticis angoribus afflictatum fuiſſe: ſed ex morbo tandem omnino reualuiſſe, quòd medici cuiuſdam ſuaſu aceto calido pedes eluiſſet. Sex. quoque Pompeium referunt huic noxæ maximè fuiſſe obnoxiũ. Et ſuper genua ſeſe in triticum demittentẽ, ita à morbo liberatum fuiſſe, vt poſtea diu, ſine vllo prorſus podagrico dolore, ſuperuixiſſe dicatur. Neque puto quenquam, vel infra mediocritatẽ in medicina verſatum

tum,hoc mihi negaturum, quin vterque ſe ab ea peſte vindicauerit,quòd ad remedia illa,quibus articulos podagra implicitos firmauerunt,& roborauerūt, ſummam vitæ continentiam attulerint. Qua ſanè antidoto, ſi Ennius ille clarorum poëtarum præconijs tantopere celebratus,vſus fuiſſet, nequaquam huius morbi ſæuitia afflictatus perijſſe diceretur. Cæterum Ennius ipſe pater dum pocula ſiccat iniqua:Hoc vitio tales fertur meruiſſe dolores. Certè diuinus ille ſenex Cous ſexti epidemiωn particulæ 4. aphor.20. docuit, ſanitatis ſtudium eſſe non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem. Cuius quidem aphoriſmi poſterior pars etiam ad huius vitij abolitionem ſpectat. Quum enim otium nimium, & deſidiam articularij mali fomitem non leuem præbere oſtenderimus, moderato ſanè exercitio illi obuiam properare impigrè conuenit. Neque tamen temerè quouis tem pore labor ſuſcipiēdus eſt: ſed priuſquam cibis ventriculum inferciamus:iuxta illud Hippoc.lib.&part. ijſdem,apho.28. Labores cibos antecedant. Sed cauendum eſt,ne velut aliud agens,priuſquam prætereat, quod dictum eſt, moderato exercitio vtendum eſſe. Siquidem vehementem & intenſum laborem iuncturas nimis calefaciendo, & debilitando morbi ſeminarium producere, haud obſcurum eſſe poterit, ei qui norit omnia vehemētia & impetuoſa noſtram naturam offendere. Somnus quoque immoderatus (vt prius dictum eſt)maximeque diurnus,& ſtatim à pleniore menſa ſuſceptus, huic malo procreando eſt aptiſſimus. Quare tempeſtiuis vigilijs,ſtudijsque mo deratis id arcere nos oportet. In ſumma (ne nimia prolixitate offendam)quibuſuis antea oſtēſis cauſſis, ſua erunt opponenda contraria. Quæ quidē ſi remis,

velifque ftudeas adimplere, vulgi opinionem occinentis, eum qui Podagricis parentibus prognatus fit, tandem malo eodem infeftandum, refutabis. Diximus etenim fuprà, idque ex Galeni fententia, articularium malum, nifi articulis imbellibus accedat humoris noxij copia, gigni non folere. Porrò qui iam acceffiones aliquot funt perpeffi, pluribus, & acrioribus machinis ad hoftem arcendnm opus effe ipfa ratio, vel nobis tacētibus, loquitur. Nam vbi præcautiones (quanquam illis multum tribuamus) modò memoratas fumma diligentia, & ftudio obferuarunt, ftatis tamen quibufdam anni temporibus, & venę fectio, & alui purgatio illis erunt fubeundæ.

Quibus anni partibus vacuatio maximè conueniat. CAPVT II.

HVMORIBVS autē è corpore proliciendis præcipuè idoneum eft Ver, deinde Autumnus, fiue per venæ incifionem, fiue per alui excretionem id efficere coneris. Siquidem dolores podagrici (vt lib. 6. aphor. 55. Hippoc. teftatur) Vere & Autumno magna ex parte mouentur. Autumno quidem ideo excitantur, quòd æftiuo tempore facultas concoctrix fit admodum ignaua, & debilis, propter aërē corpora noftra ambientem, qui ipfum calorem naturalem tunc foras euocat. Et cùm eo ipfo tēpore fructibus, quorum vberem prouentum tempeftas æftiua nobis afferre folet, auidè indulgeamus: neceffum eft ingentem crudorum & prauorum humorum copiam confequi, qui Autumnali tempore ab ęxterno habitu intrò propter frigus aduenies, coguntur, & deinde fui grauitate & copia, vbi caput obfederunt, ad ipfos articulos delabuntur. Qui eò facilius humores ipfos admit-

admittunt,quòd ęſtiuis ardoribus meatuum ſit facta dilatatio,& quòd Autumni inęquali imtemperie artus multum ſint labefactati.

Verno autem tempore ob id humores mouentur quòd illi brumali frigore intus congeſti, & conſtricti,ipſius Veris tempore ſoluti, foras euocentur, & ad fluxum,deſcenſumque habiles reddantur. Veris tamen,quam Autumni diligentiùs inſidiæ nobis veniunt obſeruandæ, & cauendæ. Quod ſentientes Hip.& Galenus,quoties temporis delectus, quo ſit corpus vacuandum nos admonent: Veris ſemper, Autumni rariùs mentionem faciunt. Quibuſcũque, inquit Hip.lib.6.aphor.47.venæ ſectio,vel purgatio cum medicamento conuenit, hos Vere purgare vel venam incidere oportet. In quo aphoriſmo Vernæ tempeſtatis,non Autumnalis meminit.quemadmodum neque Galenus in eiuſdem aphoriſmi commẽto.Siquidem podagram & arthritim adhuc incipiẽtem,necdum in articulis topho(quem Græci porum dicunt) formato, multis iam annis fieri prohibuiſſe Vere facta euacuatione, ſe affirmat, ſed Autũni nulla ab eo fit mentio.Similiter in libello:Quos,quibus & quãdo purgare oportet,inſcripto, ferè eiſdem verbis eadẽ ſe præſtitiſſe,idq.vernali tẽpore gloriatur. Porrò Rhaſis ad regem Almanſorem lib. 9. tractatu de dolore iuncturarum, adeo apertè tunc præcipuè eſſe neceſſariã euacuationẽ docet, vt validiori aſſertione eſſe opus non videatur.Sic autem inquit.In tempore autẽ ſuę incolumitatis,& propriè circa tẽpus, in quo eum ægritudo inuadere conſueuit,& quã maximè in Vere,aſſueſcat phlebotomia vti,& ventris ſolutione. Sed cur hęc anni pars prę reliquis ſit deligẽda Arthritico,eã ſequuturo capite fuſiùs oſtendere annitemur.

Cur Verno potissimum tempore vacuandum sit. CAPVT III.

QVA ratione vernali pręcipuè tempestate seu venę sectio, seu ventris medicamine solutio sit instituéda, paulò fusius, & assertius ostendisse res ipsa hoc loco postulare videtur. Sed quo id clarius, & facilius fiat, primò quæ habeant cæteræ partes detrimenta euacuationi aduersantia, secũdò, quæ Ver commoda, ostendemus. Æstiuo igitur tempore venam secare ideo perniciosum est, quòd tunc biliosis, & feruidis humoribus corpora nostra exuberent, qui in sanguinis detractione exacuentur, exardescẽtque, & proinde febres acres, & ardentes procreabunt, quas mentis exagitatio, deliria, & alia huiusmodi seuissima symptomata consequutura sunt. Noxium quoque tunc fuerit catharticis corpora euacuare, quia calor aëris ambientis è corpore foras attractos spiritus digerit, resiccatque corporis habitum, ac debiliorem reddit. Quo fit vt facultas imbecilla facilè admodũ à purgante medicamento dissoluatur. Adhæc cùm medicamẽ ipsum purgans natura sit calidum (Galen. lib. 1, aphor. 24. testimonio) corpora ipsa gemino calore, & ęstatis, & medicamenti, conflagrare necessum erit. Denique cùm eo tẽpore aëris æstus ad exteriora euocet, medicamentum contra ad interna protrahat, (vt in com. lib. 4. aphor. 5. Galen. scribit) verendum ne natura distracta prorsus dissipetur.

Hyeme autem non competit vlla vacuatio: quandoquidem manifestum sit, ea anni parte frigidos, & cõtumaces humores in corpore redũdare, quos non facilè purganti medicamento, sine graui corporis oblęsione tentes, cùm illi circa corporis centrũ quieti & ferè immobiles delitescant. Quam ob caussam pericu-

periculum eminet, cùm medicamina purgantia non possunt non attrahere peculiarem suum humorem, ne in corpore quod erat nocentius relicto, id expurgetur quod naturę maximè conueniebat. Atque propter easdem ferè rationes, venæ sectio omnino non est admittenda. Frigidis enim illis humoribus tam altum abditis & tam pertinaciter renitentibus, quid aliud præter benigniorē sanguinem elicueris? Vnde necessum sit accedere frigoris incrementum, & morbos, qui ex eo nasci consueuerunt?

Autumno quoque sua sunt incōmoda. Siquidem cùm is æstiuos feruores excipiat, qui calorē natiuum veluti assauerunt, languidioremque effecerunt, non dubiū est quin corporis vires imbelliores tunc etiam existant. Adde quod Autumnus (vt Gal. habet com. lib. 3. aphor. 9.) hoc imprimis mali habeat, quòd maximè sit inæqualis, & modò calor, modò frigus eodē die dominetur. Quæ inęquabilitas corpus ipsum maximè solet labefactare.

Neque verò sola hac ratione Autumnus dicitur noxius: sed quia humores etiam (vt loco iam citato Galenus ait) qui prius ad cutim mouebantur, atque eius perspiratu digerebātur, per Autumnum ab aëris ambientis frigore pellantur in profundum, & intrò cogantur. Quum tamen suo frigore non ita corpora aggrauet, atque hyems: neque ita ardoribus, vt æstas, vtraque anni parte Autumnus corporis vacuationi aptior erit. Quòd præsertim velut suprà ex Hippocrate demonstratum est, etiam tunc articularij morbi excitari soleant.

Porrò ipsius Veris ad corpus vacuandum præstantiam, Galen. in præfatione lib. 1. Epidemiôn vnico verbo extulit, cum ipsum εὐκρατώτατον, id est, tempe-

ratissimum

ratiſſimũ eſſe affirmauerit. Deinde cum eiuſdem lib. com. 1. eſſe in medio hyemis & æſtatis, hoc eſt neque frigidum, neque humidum, neque calidum, neque ſiccum eſſe pronunciauerit. Vnde fit, vt à reliquarum anni partium incommodis, & noxijs Ver eſſe immune fateri cogamur. Adde quod, per huiuſcemodi dotes humani corporis, vires (quarum qui tundendam venam, aut aluum medicamine ſoluendam inſtituit, ei vnicè habendam eſſe rationem omnes omnium medicorum libri proclamant) vigere, atque intendi manifeſtum euadat. Taceo quod eo ipſo tempore humores omnes fundi, & mediocriter moueri, quaſiq. ad euacuationem ſeſe vltrò offerre incipiant. Quibus omnibus penſitatis nemo, opinor, tunc cum maxima ſecuritate moliri nos corporum euacuationem poſſe dubitabit.

De Veris & Autumni ineuntis conſtitutione, deq; venæ ſecandæ qualitate.

CAPVT IIII.

QVANDOQVIDEM ex antiſtitum medicorum Hippoc. & Galeni ſentẽtia, dictum ſit, verno tempore potiſſimum, deinde Autumnali inſtituendam corporis vacuationem: non omnino abs re, aut parergon fore ratus ſum, ſi de vtriuſque principiorum conſtitutione, aliquid hîc dixero. Tametſi eorum certum & inuariabile initium, nolim quod à nobis quiſquã curioſior requirat. Siquidem annorum ferè ſingulis reuolutionibus Ver, & Autumnũ (quemadmodum & reliqua duo anni tempora) aëris varia conſtitutio nobis nunc tardiùs, nunc celeriùs adducit: Solent tamen Aſtronomiæ proceres (quorum in his ſententiæ multum tribui debere exiſtimo) Veris principium conſtitue-

cōſtituere, cùm Sol à primo puncto Capricorni perueniens ad locum medium inter vtrumque Solſtitiorum, Æquinoctium vernale conſtituit. quod accidit ſub menſis Martij medium in principio Arietis. Autumnale verò initium ſtatuerunt, quando Sol à Cancro diſcedens Capricornum verſus, in loco inter Solſtitiorum vtrunque medio conſtiterit, AEquinoctiumque Autumnale creauerit. quod euenire ferunt menſis circiter Septembris medium, Sole videlicet Libram ingrediente. Sub hæc igitur tempora venæ ſectio primò, deinde humorem per aluum deturbatio (de qua capite ſequēti tractabitur) Arthritico conſtituenda eſt. Cæterum, quia multa ſæpe interueniunt (eſt enim humana vita innumeris propè incommodorum, & morborum caſibus obnoxia) quæ euacuationem prohibere valeant: etiam, atque etiam moneo, & hortor, ne illam, niſi prudentis, & eruditi medici adhibito conſilio quis moliatur. Porrò quū Medici ferè omnes in prophylace, ſeu præcautione venam incidi iubeant, pauci admodum qualem ſecandam cenſeant, aperuerunt. Quod ideo ſanè accidiſſe, vero ſimile eſt, quia ætatis, regionis, victus, virium quoque, & corporis diligenti adhibito examine, Medici prudentiæ nunc hanc, nūc illam incidendi libertatem relinquēdam putarint. Valeſcus tamen ex Rhaſis conſilio Hepaticam, aut ea non apparente Mediam, ſiue, vt vulgus loquitur, Medianam ſecari præcepit. Sed poſterior ſanè, ſi nihil impedimento fuerit, cōſultius eſſe videtur, vt incidatur, cùm vt præcordia humorum grauamine leuentur, tum vt caput (in quo materiam Arthritin cauſſantem ſedem habere diximus) eorundem redundantia expurgetur.

De modo

De modo per medicamentum vacuandi.

CAPVT V.

SED quia hostilem hunc humorem pituitosum esse, & ex cruditate ortum demonstratum sit: Hipp. autem lib. 1. aph. 22. Concocta medicari decere, atque mouere non cruda scripserit: ideo arthriticæ materiei præparandæ accuratam diligentiam adhibere conuenit. Quod quidem oportunè fiet, si quatuor, quinquéue diebus ante catharticorum medicaminum assumptionem, quæ oportet, sumenda præscripserimus. quæ quidem etsi passim cuiuis sint obuia, formulam tamẽ vnam atque alteram præparandi visum est hîc prȩscribere, vt magis in promptu habeantur. ℞. mellis rosacei, oxymel. simp. sing. ℥. ij. s. decoctionis origani hyssopi sing. ℥. v. E quibus conficiatur serapium, quod quatuor vicibus matutinis tepidulum assumi iubeatur. vel:

℞. mellis ros. colati ℥. ij. syr. è stœchade ℥. j. syr. de rosis siccis ℥ s. Aquarum bethonicæ, absinthij sing. ℥. iiij. s. Permisceãtur, & eis paretur serapium, quod clarificetur, & odorum reddatur santali citrini, & nucis myristicæ sing. ʒ. j. deinde propinetur tribus dosibus sub solis ortum. Quòd si videatur medico opus, iteretur die quarto. Eodem verò spectant serapia è calamintha, è succo borraginis, è quinque, & duabus radicibus, cum de coctis bethonicæ, pulegij, satureiæ, apij: petroselini, serpylli, rutæ, anethi, coriandri, absyn thij, iridis, abrotoni, chamæmeli, & aliorum huius farinæ simplicium. Vbi iam humores noxios prædictis medicamentis fluxioni paratos reddiderimus, & meatus per quos ipsi humores transire debent, reserauerimus: tunc eos ad intestina deriuare, & per eadem, vt per viam tutissimam, ex ipso corpore, medica-

mine

mine purgatorio deturbare oportet. In quem ſanè vſum quãta potuimus induſtria, & diligẽtia ſequẽtes purgãdi formulas, ex laudatiſſimis quibusq. medicis tum veteribus, tum neotericis ſelegimus, atque huc aſcripſimus. ℞. agarici trochiſcati ʒ. ij. Aloes lotę, rha. electi ſin. ʒ. j. myrobalanorum empeliticarum, & citrinarum ſing. ʒ s. Iuæ arthriticæ, & maſtiches ſing. ℈. ij. s. Conficiatur, omnibus permiſtis, catapotiorum maſſula, & inde exempto ℈. j. s. formentur catapotia tria, quę bis tota ſumet æger hebdomada, idque duabus horis ante cœnam. vel: ℞. pilul. de hiera, ſcilicet, agar. troch. ſin. ʒ. ij. rhab. electi ʒ. j. s. Tamar Ind. myrob. citrin. & empel. ſing. ℈. ij. Miſceantur omnia cum ſyrupo roſaceo tempore æſtuãtiore, & cum ſyr. ex aceto, frigidiore. Deinde formentur ex ſingulis drachmis pilulæ vj. quarum iij. aut iiij. deuorentur abſoluta prima ſomni parte. Diebus verò aliquot interiectis eodem modo iterum ſumantur. vel: ℞. foliorum ſenæ Alexandrinæ, polypodij quernei ſing. ℥. s. epithymi ʒ. ij. Aniſi ʒ. j. Coquantur in ſufficienti quant. aquæ ad ℥. v. Colatis admiſceatur ſyr. roſacei ſolutiui. ℥. j. Sumatur matutino tempore vnica vice. Sed apozema ipſum alternis diebus repetendum eſt, quam diu medicus conſultus cenſuerit.

De vacuandi ratione per vomitum.

CAPVT VI.

EVM quoque vacuandi modum, qui per vomitum fit, multorum medicorum ſententia probauit. Expertus eſt autem Amatus Luſitanus (vt ipſe cẽtur. 3. curat. v. ſcribit) pharmacũ quoddam vomitorium, quod apud Paulum AEgin. lib. 7. cap. 10. reperimus, Podagrico præſentaneum attuliſſe remedium. Id autem fuit ferè huiuſmodi.

Radicula ſeu raphanus multis in locis terebrabatur, deinde ipſa foramina veratri albi,& boni radicis particulis implebantur. atque hoc pacto transfixus raphanus vna nocte cineribus calidis obtegebatur. poſtridie verò mane veratri particulæ exemptæ abijciebantur . raphanus autem minutim concidebatur, macerabaturque in oxymelitis lib. media per horas iiij. hinc oxymelitis à raphano percolati vncijs duabus,aquæ decoctionis anethi pondus vnius libręaffundebatur . deinde potum eiuſmodi tepentem alternis diebus, nunc ieiuno ſtomacho, nunc à prandio propinabant, aliquot diebus præuertentes ſolitum paroxyſmi aduẽtum. Sed quia formularum vomitoriarum plena ſunt ſcriptorum volumina, & nos infrà tract. vltim. cap. de Iſchiade 2.nonnullas præterea deſcribere ſtatuimus,hoc vnico exemplo modo contenti erimus;ne lectori & nauſeæ,& oneri ſimus.

De capitis purgatione.

CAPVT VII.

Hvivs mali veluti ſcatebras in capite eſſe ſuprà ſatis ſuperque demonſtratum putamus.Quare,facta iam vniuerſi corporis vacuatione, ad huius particularem curationẽ,ipſum primò expurgando,vt materiæ,in eo iã collectę,pernicies exigatur: & deinde roborando, firmandoque,ne illam deinceps admittat, ſed potenter repellat, nos quaſi pertrahere ratio videtur.Mirificè igitur caput à noxijs liberat,& expurgat pharmacum, quoquo modo fere ipſum aſſumas, quod vulgo puluis ſenæ præparatæ,vocatur . Cuius compoſitionem nobis Barth. Montaguana medicus ætatis ſuæ clariſſimus deſcripſit,& modò in pharmacopolarũ officinis frequens apparet. Caput quoque

purgant

purgant non infeliciter medicamenta, quæ ſequuntur ex eodem auctore decerpta. ℞.nucis myriſticæ ℈ iiij. piperis longi ℈ ij.elleb. albi ℈ j. euphorb. ℈ s. Cuncta in puluerem redigantur,& per pennam, aut alium quempiam canalem naribus inſufflentur. vel, ℞.maſtiches,ſandarachæ,vtriuſque corallij,roſarum, ſpodij ſing. ʒ j. pul. ſcoriæ ferri præparatæ ʒ s. permiſceantur. Deinde huius pulueris æger ℈ j. brechmatis capillis implicet,cum à capite in ſubiectas partes fluxionem ſentiet, idque vno integro menſe, veterem ſingulis diebus puluerem pectine abradendo, & nouum inſpergendo. Interea tamen ter hebdomadis ſingulis accipiet electuarij ſequentis ʒ j.
℞. ſpecierum diambræ, diamoſchi dulcis deſcriptionis Meſuæ ſing.ʒ j. aureæ Alexandrinæ ſine opio deſcript.Nicolai ʒ j.mellis conſeruationis myrob.chebularum ℥ iiij. ſacch.albi ℥ ij.fiat confectio in forma electuarij.

Conuenerit quoque toto defluxus tempore ſequentis compoſitionis pilulam vnam dentibus mandere manè,& veſperi,per quartam horę partem,continuè expuendo quod ad os deriuatum fuerit. ℞.coſti dulcis,cubebarũ,nucis myriſticæ,glycyrhizæ, aniſi,ſing.ʒ j.s.pyrethri ʒ ij. ſaxifragiæ, doronici, eryngij ſing.ʒ ij. quibus pulueratis cum tragacãthi muccagine,formentur pilulæ auellanæ magnitudine.

Poſtremò donec fluxus prorſum ſit repreſſus à ſingulis paſtibus ſumetur vnus horum trochiſcorum,qui recipiunt: Maſtiches ʒ j. corallij vtriuſque tenuiter contuſi, ſpodij de canna ſing. ℈ j. conſeruæ cydoniorum zuccharinæ lb.s. Omnibus permiſtis formentur paſtilli ʒ s.

De ventriculi, & partium concoctioni famulantium firmatione. CAP. VIII.

QVONIAM verò ex praua ventriculi concoctione noxij, & crudi humores producuntur, qui ſurſum ad caput facilè ferantur: ideò omnino neceſſarium videtur, vt ventriculum ipſum cum partibus ei finitimis, & auxiliatricibus firmemus, & roboremus. Profuerit igitur ipſum ſequenti cerato, quo robur ei adijciamus, munire. ℞. maſtiches ʒ.j.s. cariophyllorum ʒ.j. menthæ, rutæ, ſtyracis calamintę ſing. ℈.ij. reſinæ electæ, ac claræ ʒ.vj. Ladani ʒ.j.s. diſſoluatur & coquatur omne gummoſum in vino aromatico forti. Hinc cum ceræ.q.ſ. formetur ceratum figuræ vnius ſcuti.

Ad eundem vſum comedet æger ſingularum ſeptimanarum alterius diebus vnam myrobalanũ chebul. conditam. Hac enim via non modo ventriculo firmitudinem: ſed & capiti, & hepati, atque etiam renibus ſuis ingens auxilium adferet.

Plerique autem therebintinam electam, quantitate auellanæ ſumptam diluculo, vehementer vtilẽ eſſe cenſuerũt. Gordonius verò theriacæ drachmarũ duarum pondere per tẽporis interualla ſumptæ, ferè primas attribuit. Sed & optimum cenſetur aquæ ſtillatitię menthę ℥.j. aut ij. ferculis, atque etiam potui admiſcuiſſe. nam id ventriculo vigorem adducit, ab eoque & ab hæpate materiã phlegmaticã arcet. Priuſq̃ verò ab his recedamus, addam, principum partium vires non mediocriter foueri, augerique, ſi quis interdum ſumpſerit condita ſeu, vt vulgo dicitur, conſeruas roſarum, florum roſmarini, myrobalanos conditas, ſpecies diarrhodon abbatis, triaſantala, diamargaritũ, diamoſchum, roſatam nouellam, aromaticum

roſatum,

rosatum, & alia huius classis, quæ grata & partibus illis nobilibus amica longa experiẽtia compertũ est.

De neruis & articulis corroborandis,

CAPVT IX.

IDCIRCO autem artus firmandi sunt, vt humoribus noxijs affluentibus resistere valeant. Inter illa autem, quæ ea vi prædita sunt, celebratissimum est apud medicos consilium istud. Sal minutim cum oleo communi teratur, ac eo articuli tum matutino, tum vespertino tempore, idque toto vitæ curriculo confricentur: nisi quis forte vltra modum sicca intemperie laborauerit. Matthæus de Grad. optimum esse scribit, dum adhuc nullus adest tumor in articulis, lauari partes affectas lixiuio non admodum acri, adiecto salis & rosarũ modico. Valescus verò ex Arnoldi Villanouani sententia mirificam virtutem pedum articulis roborandis aquæ aluminosæ attribuit. Balnea quoque ex astringentibus, discutientibus, & roborantibus omnibus Podagricis vtilissima prædicant. Quocirca extra paroxysmum, aut saltem post inflammationum remissionem articulos affectos aqua marina, lixiuio, vel vino astringente lauare conueniet. Quanquam hoc non contenti quidam in prædictis, aut etiam in aqua simplici herbas exiccantes, & discutientes, quo maior vis concilietur, decoquunt, & deinde lauant. Quidam etiam balneum parant ex saluię chamæmeli, lauri sing. m. j. ea decoquentes in aquæ lib. x. adiectis salis lb. ij. s. vsque ad salis consumptionem. Et deinde ea aqua calida, tempore potissimum frigidiusculo, locos affectos colluunt. Sed iubent interea vt statim à lotione spongiæ aceto & sali permistis immergantur, & partibus laborantibus circum-

ponantur, vt à fluxione immunes reddantur. Cauendum verò est, ne æger diutius moram trahat in aqua calida, dum balneo vtitur, aut dum se lauat. alioqui fluxiones prouocaret. Deinde consultum fuerit à lotione corpus pannis lineis, & eis siccis, abstergere, & perfricare.

De victus ratione Arthritico obseruanda,
Tractat. tert. CAP. I.

TANTI est momenti, non modo in hoc, sed & in alijs propè omnibus morbis debita victus ratio, vt ea sola seruata plurimi morbi profligentur. Sed in hac tantum imperium, tantumque auctoritatis obtinuit consuetudo, vt Hipp. ipse lib. 2. apho. 50. scripserit: Quæ ex longo tempore cõsueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Cuius quidem aphorismi sententia, quamuis ad alia nonnulla extendatur, tamen de esculentis, & poculentis nobis potissimum debere intelligi videtur. Quocirca non qui cibi, aut potus generaliter sint optimi, & delicatissimi in quauis gente, sed qui apud nostrates pluris habeantur, aut saltem minus insalubres tradere destinauimus. Nam, vt idem auctor est lib. 1. aph. 17: Con donandum aliquid tempori, ætati, & consuetudini. Itaque postpositis, quæ exterarum regionum tradũt Medici, præceptis, vernaculam nostram victus rationem potissimè sectabimur: ægros monẽtes interim, ne cibum vllum quantacunque bonitate celebrem, in ventriculum demittant, nisi antecedentis facta debitè concoctione: ne fortè crudi aliquid ex ipso hepate per venas Meseraicas ad se pertrahat, vnde nutrimentum sit substantię corporeæ consequuturum crudum, & insalubre. Siquidem secunda concoctio (vt habet

habet medicorum axioma) primę prauitatem emendare nequit, ſicut neque ſecundæ, tertia. Quam Maleam vt deuitare poſſimus, conſultiſſimum fuerit edulia ſibi deligere concoctu faciliora, & naturæ noſtræ conuenientiora. De quibus iam ordine, à carnarijs incipientes, tractabimus.

De vitulina. CAP. II.

VITVLINA non infimas, inter quadrupedum genera, parteis obtinere, meritò cenſetur. Quandoquidem temperatum in nobis ſanguinem generare conſtet, & concoctu (vt Gal. de alim. facult. lib. 3. innuit) ſit perfacilis. Auerrhois verò, præter eas dotes, ſaporis ſuauitatem, odoriſque fragrantiam illi attribuit: imò gallinaceæ anteponendam arbitratur. laudatur tamen potius aſſa, quàm aqua feruenti elixa. Deinde obſeruādum, vt vitulum neque nimis recentem, neque nimis grādem nobis comparemus. Nam in omnibus ferè animalibus veſcis accidere ſolet, vt ætates extremæ vitio ſuo non careant, cum mediæ, & ſaluberrimæ ſint, & iucundiſſimè ſapiant.

De bubula. CAP. III.

BVBVLA, quæ pauxillo tempore ſale cōdita fuerit, arthritico conceditur, non tantum quòd, iuxta Gal. ſententiam lib. ſuperiori capite, citato, alimentum corpori præbeat non mediocre, neque diſſipatu facilè, ſed quia etiam ventriculum recreet, appetentiamque excitet. At quæ diutino tempore muria imbuta fuit, præterquam quòd coctu contumacior ſit, etiam prauum, craſſum, & melancholicos affectus patientem ſuccum producit. Quare non iniuria eius largiorem, crebrioremque vſum deuitandū antiqui

ſcripſerunt. Quod autem apud nos videre ſit quamplurimos non tãtum foſſores, aut aratores, ſed etiam otijs Palladijs deditos, & quos vocant, nobiles, bubula, ſingulis propè diebus, abſque vlla noxa veſcentes: id ſanè regionis noſtræ naturæ aſſignandum, in qua cum aër corpora noſtra ambiens, quam in pleriſque alijs mundi plagis frigidior ſit, calorẽ noſtrum κατὰ τὴν ἀντιπερίστασιν, ad interiora cogi contingit, ibidemque viribus collectis, auctiorem reddi, & proinde, quæ concoctu ſunt pertinaciora, leuiore negotio domare, & in ſaniorem chylum vertere poſſe.

De Leporina. CAP. IIII.

ROMANIS non fuiſſe curæ ad vnguem eſcarum naturã examinare, vel ex eò ſanè colligi poterat, quòd poëta Romæ celeberrimus Martialis inter quadrupedes, Leporinæ primam gloriam attribuendam iudicauerit. quum tamen inter medicos conſtet eam craſſum, & melancholicum humorem progignere. Eſt nihilominus (vel Galeno teſte) quàm bubula ouillaq. ſucci melioris. Simeon autem Sethi non omnino male nutrire, ſi ventriculum nacta ſit, in quo probè conficiantur, auctor eſt. Sed id curæ eſſe debet vt menſis noſtris bimeſtris, aut trimeſtris apponatur.

Porrò Leporinæ cuneculina admodum affinis eſſe dicitur. niſi forte in caueis domeſticis incluſi cuniculi educati ſint. Tum enim plus neſcio quid vel viſcoſitatis, vel lentoris obtinere deprehenduntur, qui concoctionis commodo plurimũ ſolet officere.

De Hœdina. CAP. V.

HOEDVM capræ eſſe fœtum notius eſt, quam vt vlla explicatione indigeat. Atqui cum perhibeatur,

vt mox

vt mox dicetur,caprillam noxij esse succi, contẽdunt meritò quidam hœdos vitiatum aliquod temperamentum non potuisse non contraxisse. Schola tamen Salernitana moderatè nutrire, sanguinemque tenuem, & humidum gignere affirmat. Enimuero Medicorum non pauci agnina sicciorem hœdinam, & salubriorem esse scripserunt. Cæterum iucundissimi tunc hœdi sunt saporis, cum herbam nondum attigerunt, nec bimestre, nec trimestre superauerunt. Tempestiuè autem comeduntur toto Vere: sed inassati magis quàm aqua cocti, ex succo malorum aurantiorum, oxalidis, aut condimento segetis, ea tempestate herbescentis.

De Suilla. CAP. VI.

SCRIBIT Galenus (cuius sententię totus Medicorum ordo astipulatur) suillam omnium potentissimè nutrire, similitudinemque tantam cum humana carne obtinere, vt pro suilla quidam aliquando sine vlla in gustu, vel olfactu suspicione eam esitauerint. Scribit & idem lib. de cibis boni, & mali succi, suillam, si exactè in ventriculo cõcoquatur, & à iecinore in sanguinẽ conuertatur, probatissimos humores gignere. Quòd si contrà ea nanciscatur impotentem, & marcidum hominis inertis, & otio dediti, ventriculum, crassus ipsius, & lentus, quo abundat succus, nequaquam confici poterit. Cęterum hic meminisse oportet maximè, quod & aliâs monuimus, mediam ætatem esse in suilla eligendam, vitandamque quæ senectute dura, exuccaque sit, aut infanti humore nimium humescat.

De Aprugna. CAP. VII.

MONTANA, syluestriaque animalia domesticis, vt plurimũ salubriora habentur, eo quòd excrementitiorum humorum minus producere eorum carnes manifestũ sit, vt nos infrà latius dicemus. Hinc fit vt aprugnam suillæ domesticę pręferendam lib. de attenuante victus ratione Gal. his verbis apertè docuerit: Apri suibus domesticis in cibo sunt anteponendi. Et lib. 8. meth. med. cap. 2. Ex ipsis suillis carnibus optima est montana. Quæ quidem etsi vera credantur: quemadmodum & iuxta Satyrographi sententiam, Apros animal propter conuiuia natum: eius tamen frequens vsus interdicitur: neque ad satietatem, sed ad ventriculi refocillationem esitari permittitur: propterea quod concoctionis non sit per omnia facilis.

De Veruecina. CAP. VIII.

VERVECINAM ouilla, atque arietina salubriorem esse, vel ex hoc censeri poterat, quòd Gal. lib. 3. de alimentorum facultatibus asserat, inter animantium carnes, castratorum esse pręstãtiores. Porrò veruex nihil aliud est (quod nemini ignotũ puto) quàm aries castratus, cuius traditur caro & laudabilem in corpore succum procreare, & eius edendæ (cùm tamen vix vllæ sint tam blandæ escæ, tamque suaues quarum gratia continuo vsu non obtorpescat) nullum ferè vnquã tędium obrepere. Neque pro paruo habendum existimo, quod in nostro cælo nullum propè animal, quod mensis nostris apponimus, veruece sit frequentius. Adeo sunt ouium gregi alendo, propagandoque, propter summam quam ab eo accipiunt vtilitatem, addicti nostri rusticani.

De Cer-

De Ceruinæ & aliorum nonnullorum quadrupedum esu fugiendo.

CAPVT IX.

TANTI precij Nobilitati nostræ ceruina habetur, vt cõmunia nulla ferè satis instructa putent, si illa vel ex iure parata, vel crusto incocta, vel alio quopiã modo condita, desideretur. Imo constat Heroinas quasdam mulieres singulis diebus matutinis ceruinæ aliquam offulam degustare: hoc sibi pollicentes fore, vt morbo febrili nunquam corripiantur: propterea (vt opinor) quod nonnulli philosophi autument, & apud Plin. lib. 8. cap. 31. naturalis historię, scriptum inueniatur, febrium morbos nunquam hoc animal sentire. Cæterum qui huiusmodi argumentis non contenti, physicæ medicinæ adyta penitiùs ingrediuntur, ceruinam manifesta ratione tum prędu ram, tum praui succi esse, deinde cõtumaciter in ventriculo concoqui, atramque bilem gignere tradiderunt. ideoque corpora crebrius ea vescentium non solum diris febribus, sed plurimis etiam alijs grauibus malis aptiora reddi. Quam ob rem prudentiores, & cautiores, ceruinam, vt rarius, parciusque degustent, sedulò monemus.

De Caprilla CAP. X.

SCRIPTVM nobis reliquit Hip. libr. 4. apho. 100. de ratione victus in morbis acutis, caprinis carnibus omnia inesse mala, quæ bubulis: et præterea cruditatem generare, esseque flatuosiores & ructus magis excitare, quàm reliquæ. Gal. autem in principio lib. 3. de alimentorum facultatibus dicit, caprinis carnibus, præter succi malitiam, accessisse & acrimoniam. Quare in totum eis abstinendum videtur.

Si quis tamen omnino caprina afficiatur, quo tempore illa tempestiua sit, & quo intempestiua ex Hipp. libri modo citati apho.101.discat, dicente: Optimæ autem sunt carnes caprinę æstate, autumno verò penitus illaudabiles. Rationem autem si quis nouisse desideret, Galeni super eandem sectionem commentum adeat iubemus.

De Agnina. CAP. XI.

AGNI, inquit Gal. carnem habēt humidissimam, ac maximè pituitosam. Quare si quem incessat agnina vescendi libido, prius inassatam brumali tempore mandat. idque vbi ea ab inassatione refrixerit.

De Ouilla. CAP. XII.

SVNT etiam oues natura pituitosiori, & vuidiori, ac, veluti scribit Gal. agnis ipsis excrementosiores, deteriorisque succi. vnde fit vt facilè, & crebrò ouilla vescentes in morbum aliquem grauem tandem inducantur.

De Arietina. CAP. XIII.

MEDICI omnes arietinam, & prudenter sanè, ab omnibus mensis, procul abdicant. Tetrum enim odorem, virosumq. saporem referre deprehenderūt. Deinde succi bonitate carere, & vix in vētriculo confici posse experti sunt. Ob idque deterrimam ab hircina esse sponderunt.

De Hircina. CAP. XIIII.

FOEDISSIMVM, & olidissimum omnium animalium hircum esse, vel ex hoc clarum euadere potest, quod apud quamplurimos poëtas hircus ipse pro graueolentia accipiatur. vnde luculētè, & festiuè dixit Ouidius: Offendat nares virque paterque gregis, cum fœtorē hircinum significare voluisset. Quocirca quamuis hircina caro minimū humida sit, aut pituito-

pituitosa, aut lenta, tamen propter fœdissimum nidorem ventriculo est ingrata atque inimica. Adde quod asserat Gal. tum ad concoquendum, tum ad bonum succum gignendum esse deterrimam.

De Porcellis. CAPVT XV.

NEFRENDVM laudes si quis semel intelligere velit, audiat Galenum com. in aph. 102. lib. 4. de ratione victus in morb. acut. ita loquentem: Cum porcellorum nuper genitorum caro exuperanter humida sit, plurimum inde generat pituitæ. Rursum lib. de alim. facult. 3. Meritò igitur porcelli alimentum nobis prębent tantò magnis suibus excrementosius, quantò ipsis sunt humidiores: meritò minus etiam nutriunt. Humidius enim alimētum vt distribuitur, ita etiā discutitur celerius. Cum igitur caro muccosa, præhumidaq. sit, quàm rectè faciāt, qui in conuiuijs adipalibus abunde illis indulgeant, ipsi viderint. Minus tamen peccabunt, si appetentia porcellos edendi proritati, etiā atque etiā cauerint, ne semicoctos, aut plus æquo torrefactos comedant. Siquidem porcelli carnes, Hip. libro modo allegato teste, prauæ sunt, cum vel crūdiusculæ, vel ambustæ fuerint. Nam crudiusculæ flatus generant, qui turbationem faciunt, & ambustæ biliosæ sunt, propterea quod crusta illa facillimę in bilem transeant. Quare & loco suprà citato Galenus porcellos pelle abiecta edendos admouet.

De Auium alimento. CAPVT XVI.

NON tantum inter quadrupedia, sed & inter volatilia veritatem habet, montana, syluestriaque animantia domesticis, ac ignauis, & quæ in palustribus locis degunt, esse longè pręstantiora. Propterea quòd

(vt Gal.

(vt Gal.lib.3. de alim.facult.teſtis eſt) montana, & ſylueſtria multum exerceantur, ac fatigentur, & in aëre ſicciore viuāt.vnde liquet,inquit,quòd alimentum,quod ab eis prouenit, minus habeat excrementi:contrà valde excrementitium ſit, quod à domeſticis, atque otioſis ſumitur. Quare neceſſum eſt alimentum eiuſmodi nutriri valentius, quàm alterum, ſuccumque meliorem & corpori congruentiorem procreare.

De Gallis,& Capis. CAP. XVII.

A GALLINACEIS,vt cibis nobilioribus in genere auitio meritò exordium capiemus.Nam tametſi gallorum, niſi iuuenum, & Venerem nondum expertorum caro ſit ingrata, & apud cupediarios vileſcat: exectis tamen ex illis tempeſtiuè teſtibus capi fiunt,quos, etiam ætatis adulterioris inter primas epulas nou immeritò hodie reponi videmus. Siquidem eorum carnes(vel conciliatoris different.68.teſtimonio)inter laudatiſſimas recenſentur,& à ventriculo,gemina quadam proprietate,optimè conficiuntur. Sed capos & ſapore & magnitudine inuſitata præſtantes, inter Flandros Brugenſes, Meſſinenſes, & his finitimi nobis mittunt. Cæterum gallis vetulis non omnino ſuus honos deeſt. Nam ius coctorũ hauſtum præterquam quòd neruos (quod Arthritico anxiè affectandum eſt)roboret,etiam aluum vtiliter emollit: præſertim ſi modico ſalis adiecto braſſicam marinam,mercurialem,carthamum, polypodiũ querneum,& his ſimilia probè incoxeris.

De Gal-

De Gallinis. CAP. XVIII.

GALLINÆ quæ in tenebris,& otio obeſcantur, gratiores quidam ſunt palato, & ventri, ſed tamen minus ſalubres ijs,quæ aëre aperto fruentes pingueſcunt,& carnoſę fiunt. Pulli autem earum,niſi trimeſtres, aut quadrimeſtres, viſcoſiori & craſſiori ſucco abundãt. Qua ratione ipſi,quemadmodum & coturnices,arthriticũ malum occultè prouocare dicuntur.

De Columbis. CAP. XIX.

COLVMBACEAS carnes Galenus inter eas,quę facilis ſunt concoctionis repoſuit. Sed maximè cautio eſſe debet, vt neque nimium nouellos, nec iuſto adultiores columbos accipiamus. Itaque genitores, niſi forte brumali tempore, quo reliquæ carnes tenereſcunt,vitandi ſunt. Qui autem domi concluſi educantur,præpingues quidem fiunt,ſed bonitate, ab ijs qui volatu, & exercitio ſuperfluam humiditatem conſumunt,ſuperantur.

De Perdicibus. CAP. XX.

VINDEMIARVM, atque meſſium tempore, contra quorundam grauium auctorum ſententiam, experimento deprehenſum eſt, perdices habitiores fieri. Quare ea tota tempeſtate edendæ veniunt,præſertim ſi adultæ comprehendantur. Earum autem caro,Auicenna auctore,eſt de ſubtilioribus carnibus impinguans, quia multum nutrit, cor abſtergit,hydropiſique, & ſtomacho confert. Galenus verò 3.de alim.fac.cap.10.& methodi medendi 8.cap.2.perdicum carnes omnibus alijs volatilium carnibus prætulit. Sunt enim preſtantiſſimæ & ſucci bonitate,& concoctionis facilitate. Sed vt vni animantium nunquam

quam natura omnia dedit, id dicuntur habere noxæ quod aluum ſtringant. Quocirca ijs adhibita cautione, Arthritico veſcendum eſt.

De Phaſiano. CAPVT XXI.

IVSTIS nominibus reges, & magnates menſas ſuas phaſianis (quos gallos ſylueſtreis quidam appellant) opulentant. Siquidem Medici bonitate carnis, ſucci, & facilitate concoctionis gallinaceis æquandos tradiderunt. Conciliator autem de eis ſic ſcriptum nobis reliquit. Syluestrium quoque laudabiliores ſunt phaſiani, & ad ſanitatem, & robur, & fortaſſis etiam in vniuerſum domeſticis, cum ſint gallinis propinquiſſimi, & eiuſdem ferè ſpeciei. imo illis amicioris aëris, & alimenti, & exercitij amplioris.

De Gallinagine. CAPVT XXII.

PER hanc auem (de cuius appellatione magnam reperi inter doctos controuerſiã) intelligi volo eam, quæ à Gallis, vne baccaſſe, & à Flandris, een Sneppe, nominatur. Cuius quidem carnem eſſe ſuauem Albertus ſcripſit: ſed circa hyemem, quo tempore quibuſdam in locis tantum reperiuntur, maximè eſſe tempeſtiuæ tradantur gallinagines.

Da Sturnis, Merulis, Turdis, & Paſſeribus. CAPVT XXIII.

HIS veſci circiter Autumni finem, & hyemis initium nequaquam vetatur. quò tamen iuniores erunt, eò magis conuenient. Quia eorum tunc caro ſuauior eſt, & præſtantiorem in corpore ſuccum progignit.

De Turturibus. CAP. XXIIII.

TAMETSI horum carnem, quàm merularum, aut Turdorum duriorem docti quidam aſſeuerarint:

rint: Auicennas tamen illam mirè laudauit, & gallinaceæ æquiparauit. Minus autem columbis eſſe humidos, & temperatè ferè calidos, apud magni nominis viros inuenimus. Auerrh. verò 5. collig. mirandam proprietatem confortandi cerebri, & ingenij acuendi habere nobis ſcriptum reliquit.

De maiorum auium, & aquaticarum carnibus fugiendis. CAP. XXV.

PROCERIORI corpore aues, cuiuſmodi ſunt Struthiocamelus, Onocrotalus, Olor, Grus, Pauo, grauia concoctu ſunt, & prauos, atroſque in noſtro corpore humores gignere aſſolent. Nec his præſtantiores habentur, quæ circa ſtagnantes aquas, amnes, riuos, paludes, & lacus verſari, aut eſcas venari cernuntur: quales ſunt Anſer, Anas, Pluuius, Mergus, Gauia, Fulita, Ardea, Abardeola, Ciconia, & aliæ huius farinæ aues. quarum carnes (Galeni teſtimonio) humidæ, excrementitiæ, & concoqui difficiles experiuntur.

De Piſcium alimento.
CAP. XXVI.

SI QVIS ad libellam, quod aiunt, ſanitatis rationes exigere velit, ab omnium ferè piſcium eſu ſeſe abdicet, oportet. Quandoquidem conſtet apud omnes naturæ alimentorum perſcrutatores eos pauci, & praui eſſe alimenti, multaſque ſuperfluitates in humano corpore relinquere, quæ poſtea facillimè corrumpuntur. vnde Auic. poſt vehemens exercitium meritò piſces eſitari vetuit. quòd per ipſum corrupti, reliquos corporis humores omnino deprauent. Rurſum ſcribit (quæ fuit & Galeni ſententia) piſces recentes pituitam generare, & ventriculum mollificare.

care : cum tamen non ſemper, aut oua, aut carnes ad manum eſſe poſſint, neque ſi fuerint, eis indiſcriminatim quouis tēpore noſtra religio veſci permittat: nos de ijs tractare ſtudebimus, qui minori noxa ſumi poterunt, poſitis priùs generibus quàm ad ſpecies deueniamus.

Scribit autem Galenus in lib. de alimētis, piſcium carnem qui in aquis limoſis, ac lacuſtribus degunt admodum excrementitiam, ac muccoſam eſſe. Quare Arthriticis cane peius & angue fugiendam in confeſſo eſt : cum non ſemel oſtenſum ſit eorum victus rationem in hoc conſiſtere, & veluti caput eſſe, vt excrementoſus non ſit, non frigidus, non oppilans. Piſces igitur aut ſaxatiles, aut marinos omnibus ſanitatis ſuæ ſtudioſis diligendos eſſe totus Medicorũ ordo cenſet. Fluuiatiles verò in vniuerſum reijciendi veniunt, niſi ij qui in aqua rapidè fluente gignuntur. Nã cùm tales fluminis celeritate, aut volubilitate magis exerceantur, minus excrementorum producere poſſunt. Qui autem in fluminibus vrbem populoſam præterlabentibus, hominum excrementis, & culinarum ſordibus victitant, hoc arguit eſſe deterrimos, quòd vbi pauxillo tempore mortui fuerint, ſtatim putreſcãt, & grauiſſimè oleant. Sed hic nequaquam ſilentio prætereundum videtur, eos piſces eſſe generoſiores, qui & mediæ ætatis, & quantitatis fuerint : niſi forte pertinacem duritiem, aut diffluentem mollitiem nacti videantur. Alioquin ex molliorum, & humidiorum genere maiores aſſumi debent, ſicut è duriorum, & ſicciorum minores, propter rationes omnibus obuias, & notas.

De Solea.

De Solea. CAP. XXVII.

QVONIAM in piſcium appellationibus ita variant Ichthyographi, vt ſingularum propè regionum, imo pagorum, & territoriorum ſingula nobis adducant nomina: operæprecium facturum me exiſtimaui, ſi certioris, & dilucidioris doctrinæ gratia, piſces ipſos ea lingua, qua nunc Gallia Belgica duplice vtitur, appellare. Solea igitur de qua hîc modo agimus Gallis dicitur, vne Sole, ſiue, vne Soeule. Fland. een Tonghe: quo modo etiam appellãt Itali. Nam apud eos Linguata nominatur. idque fortaſſis Græcorum imitatione, quibus βούγλωσσος καὶ βούγλωττος appellatur. Soleæ verò encomium Gal. lib. de alim. facul. celebrauit, dum collatis inter ſe duobus bonis piſcibus Paſſere & Solea dixerit: Non tamen omnino eiuſdem ſunt ſpeciei. Solea enim mollior eſt, & cibo ſuauior, ac in totum præſtantior, quàm paſſer. Sed cùm glutinis nonnihil habeat in aliquot dieculas aſſeruata, quàm recens cocta, melior, & ſalubrior habetur: quia temporis beneficio quod eſt in ea glutinoſum, & lentum deponitur.

De Paſſere, Rhombo, Plagitia.
CAPVT XXVIII.

IN HORVM nominum appellatione tantum offendi labyrinthũ, vt inde, velut ictus ab angue, ilico me ſurripuerim, Galeni dictorum memor: Non eſſe multum digladiandum de vocibus, dummodo de re cõſtet. Secuti igitur eos ſcriptores, qui lumine quodam præuio nos ad ſe inuitarunt, Paſſerem eſſe comperimus, quem & Galli, & Flandri, Scarrekin vocarunt. Rhombum, quem Galli, vn Rhomb, aut nomine familiariori, vn botkin, Flandri, een but dicunt. Plagitiam verò (vt habet ſchola Salernitana) aut (vt

alij quidam ſcripſere) Plagutiam eum piſcem eſſe, qui Gallicè, vne Plaijs; Flandricè, een Pladijs appellatur. Producunt autem piſces hi omnes (quãtum piſcium fert natura) ſuccum optimũ, & minimùm excrementoſum. Quare non omnino iniuria inter popinaleis delicias, à nonnullis, annumerantur.

De Carpione. CAP. XXIX.

PISCIS hic inter contemptibiles reponendus nequaquam videtur: ſi modo eam bonitatis gratiam obtineat, quam ſuprà cap. 26. in omnibus fluuiaticis piſcibus requiri diximus: neque putauimus eadem hic referre, neceſſe. Coquuntur autem ab opulentioribus in vino, adiecto ſale, vt eius, ſi quam forte habeat, viſcoſitas abſumatur: quantumuis tamen opipare coquatur, aut condiatur, eius frequens eſus minimè probatur.

De Lucio. CAP. XXX.

NON minima quoque inter eruditos de Lucio, & Lupo piſce digladiatio extat. Cæterum non noſtrum (vt ingenuè fateamur) inter eos tantas componere lites. Tantum id dicam, quod huic noſtro negotio vſui eſſe putamus: nimirum Lucium eum eſſe piſcem, quem Gallorum vulgus, vn brochet, Flandrorum, een ſnoeck appellitat. Hunc verò Galenus ſcribit temperatum ſanguinem gignere. Quò ſanè nomine cum bonæ notæ piſcibus omnino reponi meruit: quod quidem apud Belgas nominem ferè latet. Nam ijs ita commẽdatur, vt inter amnicos piſces Lucio primas attribuant.

De Perca. CAP. XXXI.

PELAGIVS, & amnicula iſte piſcis eſſe traditur. Pelagium quidem à Gallis, Perche de mer, à Flandris een zee Baers, nominatum reperi. Rurſus amnicolam ab illis

ab illis, Perche d'eau doulce, ab his verò, een ſoet water Baers nuncupari. Vtrunque ſanè piſcem ſummis laudibus plerique Medici extulerunt. Marinum tamen Galenus ſaxatilibus contribuit: quò fit, vt de ipſius in cibis ſalubritate minimè ſit dubitandum: quum id genus piſces perpetuò laudati fuerint.

De Aſello, Eglefino, & Merlano.

CAPVT XXXII.

CVM hi piſces omnes Aſellorum ſint ſpecies, eum tamen qui à Gallis, Merlus, & ſæpe, vn Cabbiliau, & à Flandris, een Cabbeliau dicitur: Latini peculiariter Aſellum, ſeu Aſellam, Græci autem ὀνίσκον nuncupauerunt. Secunda verò ſpecies nonnullis piſcis capitoſus, Rondeletio Eglefinus, Gallis Eglefin, & Flandris, Scheluiſch appellatur. Tertiam verò ſpeciem Latini Merlanum, ſeu Merlangũ, Galli vn merlen, Flandri, een muelnaer, bolck, & wittinck dixerunt. Porrò Aſellos omneis, mollis eſſe carnis, & boni ſucci minimumque glutinoſi, deinde cõcoqui facile cum Galeno, Medici propè omnes tradiderunt: exceptis tamen ijs qui forſitan vitioſa pabula nacti eſſent. quòd ſi Aſellam decem aut duodecim horis ſale aſperſam recondideris, multorum ſententia eſt, multò ſalubriorem fieri.

De Laccia, ſeu Aloſa.

CAP. XXXIII.

GALLIS vne Aloſe, Fland. Elft piſcis iſte appellatus eſt: quem Paulus Iouius pulparum mollicie, ſaporeque admodum eſſe delicatum, & vberrimè nutrire aſſeuerauit: quia tamen, inquit, glutinoſioris eſt alimenti, excrementa eius in ventriculo non facile atteruntur. vnde fit, vt ab ipſis exhalationib. ad caput

ſublatis, intempeſtiua ſomnolentia inducatur, & ſitis augeatur. Optimè autem laccia in craticula aſſatur, & viridi ſalſa affuſa comeditur: ſed eius captura, niſi Vere inchoante, non fit: quo ſanè tempore Chriſtianis ad ieiuniorum ſolamen, maximo ſolet eſſe adiumento.

De Mullo. CAP. XXXIIII.

MVLLORVM varia ſunt genera: ſed nos hic de eo agemus, qui Gallice, vn barbeau, ſeu, vn Rouget, Flandrice, een barbeel, & Latinè quandoque Barbus, ſiue Barbo dictus eſt: huic autem piſci gratia non infima ineſſe prędicatur: Eſt enim (Corn. Celſo atteſtãte) boni ſucci & inter teneros, duroſque piſces, medius. Sed quod mirum videri poteſt, quò vetuſtior eſt, eo ſuauior, atque præſtãtior experitur: vnde perdoctè in Moſella Auſonius de eo cecinit:

Tu melior peiore æuo, tibi contigit vni
Spirantum ex numero non illaudata ſenectus.

De Sturione. CAP. XXXV.

VARIIS & tenebricoſis appellationibus ſcriptores hunc piſcem obſcurauiſſe omnino comperiet, qui eorum ſcripta reuoluturus eſt. Cæterum quum rem ipſam, non vocabula venemur, ijs præteritis, piſcis naturam quem Galli, vn Eſturgeon, Flandri, een Stuer vocant, hic demonſtrabimus: Sturionem (inquit Paul. Iouius) maria quidem gignunt, ſed flumina maximè nobilitãt. Subeunt autem, è mari, aquas fluuiatileis, quarum hauſtu pingueſcunt, exuuntque ſubagreſtem illum ſaporem, quem in pelago conceperunt. quinimo in præalto mari nunquam ferè, vel rariſſimè capi, idem auctor teſtatur: eſt verò eius caro palato gratiſſima, & non mali ſucci, ſi modo ventri-

ventriculum robustum nacta fuerit: solet autem frustratim desecari, & in aceto cocta ad aliquot dies asseruari, atque sic suauius, & salubrius mandi.

De Salmone. CAP. XXXVI.

NOTIOR est huius piscis appellatio, quàm vt vlla interpretatione indigere videatur: quare ad eius naturæ declarationem accingemur. Salmonis igitur carnes, si cui tam firmus ventriculus fuerit, vt probè perfici queant, egregiè alunt: qui verò inualidiori sunt ventriculo, eas rarius in cibos admittere debēt: quanquam, si eis innata malitia aliqua fuerit, bona ex parte consumatur, si elixetur in vino, adiectis caryophyllis, pipere, cinnamomo, & zingibere. Transmeant autem Sturiones è pelago ad fluuios: qua hospitij mutatione, virus illud marinum deponunt, & esui commodiores efficiuntur.

De Saxatilibus in genere.

CAPVT XXXVII.

POSSEM equidem plurimorū aliorum piscium in cibis aptorum naturas hîc describere: sed quoniam illas ex illis quæ iam summatim complectemur, deprehendi posse existimauimus: viam compendiosiorem maluimus inire: ne fortè legentibus nauseam pareremus. Pisces igitur, qui in petricosis & saxosis degunt locis, cuius classis sunt Gobio, Scarus, Merula, Turdus, & plerique alij, certus esto inculpatè esitari posse: spondent enim Medicorum præcipui alimentum quod ex ipsis procreatur, non tantum concoctu facile; sed etiam salubre esse: quòd ex eo sanguis consistentia medius proueniat: hoc est (docente Galeno lib. 3. alimentorum) qui neque tenuis admodum sit,

neque aquoſus,neque vehementer craſſus. Præterea id habent gratię piſces ſaxatiles,quòd reliquis minus ſint excrementoſi: deinde quòd eorum caro ſit mollior, & friabilior: quod ſanè acceptum ferre debent aquis, in quibus degunt, quæ inter petras labuntur, atque etiam cùm ſerenum eſt,moueri conſueuerunt: per quem motum etiam ipſi piſces aſſiduè mouentur,& exercentur.

Quinam piſces Arthritico fugiendi ſint.

CAPVT XXXVIII.

PISCES omnes inuſitata magnitudine cuiuſmodi ſunt cetacea omnia, vt balena, Phoca, Delphinus, Thunnus,& ſi qui ſunt tales, omnino abijciēdi ſunt: nam duram habent carnem, & excrementoſam, prauique ſucci:adde quod ipſa recens ſumpta, niſi optimè concoquatur,plurimum crudi ſucci in venis congerat, ſenibusque cibus omnino inutilis exiſtat. neque his minus inſalubres ſunt piſces, qui quorundam quadrupedum figuram, carniſque ſubſtantiam imitantur, vt canis marinus, lutra, porcus marinus, & ſimiles. Sed neque attingendi ſunt ij,qui ſquamis carent:quales ſunt anguilla, lampetra, congrus, murena: ſunt enim craſſi & lenti ſucci, quique maximè oppilet. Præterea anguillam,& murenam,comment: in Scholam Salern.ſcribit ſtomacho, & renibus eſſe inimicas:ſed præcipuum, inquit detrimentum ex earum obſonijs ſentiunt, qui arenulas mingere conſueuerunt: quoniam illæ anguillari glutino in calculos cogi,& aſtringi videantur. Podagra quoque laborantibus manifeſtè officiunt,nec vllis morbis medentur,ſic vt natura iniquè feciſſe videatur,quæ tam ſuauem refutandis, expuendiſque piſcibus indiderit ſa-

porem

porem. De murenis ita ſcriptum apud Aetium reperitur: Murenas & omnia mollia, vt lolligines, ſepias &c. vt quæ difficulter concoquantur, inflationes pariant, & noxios humores generent, cenſeo reprobanda. Congros autem Galen. de alimentis lib. 3. ſcribit carnem duram habere, ægre confici, & parere ſuccos craſſos & ſalſos. lepram verò occulta quadã vi generare Albertus magnus auctor eſt. quòd verò Romanos veteres tanti Murenas feciſſe, quanti vllum aliud piſcium genus traditur, id ab eis factum Paul. Iouius, non propter naturæ bonitatem, ſed ob viuacitatem credidit: nam magna earum copia, in quotidianos vſus, viuarijs incluſa diutiſſimè poterat aſſeruari, cæteris piſcibus, aut tædio carceris, aut vitio piſcinarum facile pereuntibus.

De potuum generibus Arthritico conuenientibus. CAP. XXXIX.

ABSOLVTO vtcunque de Arthriticorum cibatu, ad potus genera dietæ ordo nos iam pertrahit: illud igitur eos imprimis admonemus, vt potum omnem deuitent, cuius vehementia facile capitis arcem oppugnare poſſit: ne videlicet ipſius mali cauſſæ fomentum aliquod ſuppeditetur: quũ huius noxij humoris fontem in capite collocandum, iam aliquoties demonſtratum fuerit, quare iuſta de cauſſa, ab hoc ſcopulo Arthriticos liberare & ſeruare conantes plerique Medicorum, in quibus eſt, & Hieremias Triuerus Louanienſis quondam ſcholæ gymnaſiarcha, & doctor celeberrimus, vinum Rhenanum Francico prætulerũt: quòd iudicarẽt longè minorem copiam, & languidiorem fumoſorum vaporum ex illo, quàm ex hoc ad caput ſurſum deferri. ſunt tamen nonnulli

viri graues, qui quidem Gallicum concedunt, sed idem malum cauẽtes oligophorum, & subrubellum esse volunt. Porrò in hanc sententiam manibus pedibusque eunt cuncti, vt in ipso paroxysmo, nisi perparcè, atque ab ijs qui huiusmodi potui assueuerunt, vinum non attingatur. Cæterum audiendus nequaquam nobis videtur Hieron. ille Cardanus, vir alioqui ingenio sanè sublimi, & acri, qui cum nonnullis alijs neotericis stiptica, & quę à Gręcis στεγνοτικὰ, hoc est venarum, & arteriarum ora obdurantia, exhibenda contendunt: Ne, inquiunt, excrementosi humores in corpore nati ad locum affectum facile dimanent: sed, quum hi nequeant, eorum etiam confessione, in corpore retineri, sine magno corporis totius detrimẽto, hac cautione vtuntur: nimirum vt alternis diebus, aut tertio quoque die cathartico intus deuorato Arthritici assiduè expurgentur. Atqui quum Hippocratis, atque etiam Galeni pręcepta nos admoneant corpora nostra in prauam consuetudinem non esse trahenda: Consuefacere autem corpus catharticis perpetuò sumendis consuetudo sit perniciosa, eorum sententia de morbi articularij præseruatione non videtur amplexanda: siquidem purgationes crebriores manifestum est, & apud Corn. Celsum legitur, corpus debito alimento defraudare, & in atrophiam tandem inducere. Diuretica igitur, & extenuantia, nisi corpus vehementer impurum appareat, tunc enim purgatione præuia opus esset, adhibere potius conuenit: vt quæ serosa excremẽta quotidie per vesicam quemadmodum facile experimur, promoueãt. quòd si his non moueantur, audiant Galenum lib. 5. de sanitate tuenda, apertè asseuerantem vina, quæ diutius in ventre morantur viscera obstruentia, nullo modo

apta

apta esse senibus. Dulcia autem, & pallida, quibus potissimum, inquit, suspicio esset calculi in renibus gignendi, aut podagræ alicuius, articularisúe morbi impetus futuri, optima esse: quid quod & in ipsa illa vina, quo vrinas magis propellant, petroselinum, rutam, aut piper conijci præcipiat? Atque hæc cùm sufficere possent, addam tamen ne quid causentur, Rhasim & Auicēnam planè & apertè scriptum reliquisse, dolorem iuncturarum frequenter remoueri vrinas prouocantibus. Cæterum quum suprà Arthriticis, paroxysmo inualescente, vino interdixerimus, quo potus genere vrgentem sitim sint sedaturi, dicendum iam videtur. Aquam igitur bibāt, in quá cinnamomium, anisi, petroselini, coriandrique semina, & quæ huius farinæ reperiuntur, decocta sint: aut certè, si ferant facultates, eo potionis genere vtantur, quod ridicule à Barbaris hodie Hipocras nominatur. Cuiusmodi fuerit, quod accipit cinnamomi selecti ℥ ij. zingiberis ℥ s. piperis longi, granorum paradisi, galangę maioris sin. ʒ j. cardamomi ʒ j. s. nucis moschatæ, caryophyl. macis ʒ j: quæ omnia coquentur in aquæ fontanæ lb. vj. quoad quarta pars, hoc est lb. j s. sit absumpta. hinc colabuntur, & exprimentur, adijcieturque sacchari lib. s. ad dulcorem potioni conciliandum.

De secundis mensis. CAP. XL.

CIBORVM varietatem & multiplicitatem omnem veteres illi medicę artis heroës constanter damnarunt, tanquam humani corporis extremam perniciem: Atqui si nostrates mēsas, & pręsertim, quas vocant secundas, viderent, quos non cachinnos tollerent? Quod Antyciris nobis opus esse clamitarent? Ratio ipsa dictat, ea edulia esse præsumēda, quę citius

in ipſo ventriculo confici poſſunt: deinde quæ difficilius, & tardius: at nos quaſi ſaluti noſtræ inuidentes, naturæ ordinem peruertimus, ea prius deuorantes, quæ pertinacioris, pòſt, quæ leuioris ſunt concoctionis: Taceo quod ventre iam ſaturo coactam appetentiam proritantes ea nobis ex conſuetudine apponi iubeamus, quæ totam maſſam in ventriculum demiſſam maximè idonea ſunt corrumpere, & veluti toxico inficere: ea autē ſunt fructus quidā humidiſſimi, & maximè excrementoſi, vt ceraſa, pruna, perſica mala, pyra, & ſimilia, cum omni genere lactariorū, & dulciariorum: à quibus ſanè, quemadmodum & à quouis caſeo, in totum abſtinere Arthriticos diligenter monemus, atque in horum vicem auellanas, amygdala, vuas paſſas, piſtacia, pini nucleos, coriamdri grana pręparata, & ſi quæ ſunt his affinia ſumere ſuademus. Nec cydoniorum carnem improbamus, ſed ſine ſpeciebus confectam, & poſt reliquos cibos omneis aſſumptam: habet enim à cerebro vinoſos vapores prohibendi maximam energiā: deinde quamuis ex natura ſua facultas illi aſtrictoria inſit, tamen à paſtu comeſa ventrem laxandi vim adipiſcitur. propterea quod ventriculum conſtringēdo bonam reddat concoctionem: vnde alui benigna conſequi ſolet emollitio. Sed in his longius progreſſi diutiusque immorari nobis videmur, quàm Arthriticorum dietæ ratio poſtulet: Quare ad ea quæ quarti, & vltimi ſunt tractatus, nauis clauum derigemus.

De arthritici doloris actv affligentis cvratione, tractatvs qvartvs. Capvt I.

Qvamvis huius libri initio ſynecticam, ſiue continentem doloris articularij cauſſam humorem quendam

quendam simplicem, eumque pituitosum ac serosum esse dixerimus, simplicem tamen non semper esse eius curationẽ non inficiamur. Propterea quod constet morbum ipsum aliquando oppugnare corpus, quod sanguineo, aut bilioso, aut atrabilario humore redundet: qui sanè nequaquam, in ipsa curatione, negligendi veniunt: quum eorum exuberantia, non artus modo, sed vniuersum corpus molestari, atque aggrauari quilibet experiatur. Itaque de ijs, simul cum principe hoste, nempe pituita, deturbandis singulis suis locis acturi sumus, ab ipsa interim primaria causa exordientes.

De Articulary humoris euacuatione.

CAPVT II.

HIC autem meminisse imprimis oportet eorum quæ suprà tractatus 2. cap. 5. tradita sunt: nimirum materiem humoralem esse præparandam priusquam vllam expurgationem attentemus: atque id quidem qua via, quaque ratione fieri deceat, inde petere iubemus. Satis enim, superque (vt opinor) ea de re illic tractatum est: quemadmodum forsitan & de purgatione, nisi paroxysmi ratio, quum iam æger cruciatu arthritico afflictatur, pharmaca efficaciora, & acriora exposceret. materia igitur concocta, & ad expulsionem pręparata modis, qui sequuntur per aluum protrudetur. ℞. myrob. chebul. ʒ iij. Agarici ʒ j s. fiat decoctum, in quod colo transfusum inijce syr. ex pluribus infusionibus rosarũ rub. ℥ iij. diacatholici ʒ s. permisceantur, & inde haustus propinetur. vel. ℞. glycyr. passul. mundatarum ab acinis sing. ℥ j. iuę Arthriticę M j s. flo. stœchados, cõmunium sing. p. ij. carthami, agarici sing. ʒ iij. polyp. querni ℥ s. zingib. ʒ j. co-

ʒ j.coquantur in. ſ.q.aquæ ad ℥ iiij. quibus colatis adijce catholici, diacarthami ſing. ʒ iij. electuarij è ſucco roſarum ʒ ij. miſceantur, & paretur hauſtus. Quòd ſi minus validis opus eſſe Medici prudentia iudicabit, tum vſui eſſe poterunt quæ tract. & cap. paulò ante citatis deſcripta fuere, ſiue liquidiora, ſiue ſolidiora poſcantur. quia tamen è longinquis partibus in ipſum ventriculum humor iſte noxius eſt deriuandus, catapotia ſanè potionibus dilutioribus erunt anteferenda, vt quæ in ventriculo pertinacius hærere, neque tam breui tempore diſſolui poſſunt. vnde conſequitur permanentior, & diuturnior (vt alibi à nobis dictum eſt) humorum attractio. nam velut magneti ea vis ingenita eſt, vt diſſitum ferrum ad ſe attrahat, ita catharticis medicamentis à natura inſitum eſt, vt occulta quadam virtute, &, vt ipſi loquuntur, tota ſubſtantię proprietate, ad ſe ex vniuerſis corporis partibus peculiarem aliquem humorem pelliciant, quem poſtea ſecum per meatus à naturæ conſtitutione deſtinatos ex ipſo corpore conuerrant. Catapotiorum itaque formulas aliquot ſubijciemus. ℞. catap. Arthriticorum, cocciorum ſing. ʒ s. formentur catapotia vj. cum oxymel. ſ. mirè autem hæc conducunt. vel. ℞. pilul. fœtidarum, & de hermodac. ſing. ʒ s. è ſarcocolla ℈ j. miſce, & cum ſucco roſarum formentur pil. ix. Paris cum ſuperioribus ſunt virtutis.

Quæ autem ſequūtur, Rhaſis medici excellentiſſimi eſſe dicuntur, & mirificis laudibus extolluntur. ℞. aloës hepaticæ ℥ s. dacrydij ʒ j. roſarum rub. tritarum ℈ ij. hermodactyl. alborum à ſummo cortice liberatorum ʒ ij. miſceantur & cum ſyr. de ſtoechade formetur maſſula, è qua, pro ægri tolerātia à Medico exhibe-

exhibebitur doſis. vel. ℞.pil.è ſagapeno,aut fœtidarum ʒ j s. Agarici trochiſcati tantundem miſce, &cum oxymel.aut ſyr.de ſtoechade formetur moles pilularis,è qua eximētur ęgro plus minus pil.vj.poſtridie coque corticum myrob. chebul.ʒ ij.atque in harum decocto diſſolue ſyr. ex pluribus infuſionib. roſarum rub.℥ ij,aut iij. deinde ex ijs permiſtis propinetur hauſtus.

Quod ſi huiuſmodi cedere dolorem (quod facile contingere queat, ſi paulò vetuſtius fuerit)non perceperimus,ſæpius hæc repetēda ſunt:ſi enim vſquam locum habeat prouerbiū:Non vnico ictu molē quernei roboris deijci, hîc, me hercle, maximè inueniet.

Porrò poſt huiuſmodi purgationes cōſultiſſimum fuerit partes principes corroborare, nunc ijs quæ in ſecundo tractatu oſtenſa ſunt, nunc ijs quæ modo oſtendemus.

Theriacæ vel Mithridatici antidoti ʒ ij.ſumendæ ſunt tribus aut quatuor horis ante paſtum.Diacorallium autem quod deſcribit Alex.Trallianus lib.11.& Aegineta lib.7. medicamentum eſt ſecuriſſimum, & in potu nihil inſuaue habet:prętereа partes roborādi & firmādi principes pręcipua vi prędıtū comperitur.

De medicaminum anodynorum,& diſcutientium admotione. CAPVT III.

VBI iam inualeſcit doloris acceſſio, & adminiſtrata ſunt quæ corpus recrementis exonerare ſunt apta,medicamine topico,ſeu locali omnino opus eſſe cenſemus, quod & poſſit cruciatum ipſum lenire,& materiam per inſenſiles meatus educere.Horum igitur formulas aliquot accipe, ℞.micę panis maceratæ, in decoctione chamæmel. abſinthij,maioranæ, atque modicè coctæ lb. j. cui adde caſſiæ recens è

cannis

cannis erutæ ℥ j. oui vitellum vnũ, olei chamæmeli-ni,& myrtillorum ſing.℥ j.croci ℈ j. permiſceantur, & formetur cataplaſma,quod artubus laborantibus applicetur. vel. ℞. farinæ hordeaceæ ℥ iiij.hermodac.℥ j.croci ʒ j. ouorum vitellos ij. quibus commiſtis addatur olei roſacei modicum, & cataplaſmatis formam accipiant. vel. ℞.ſucci caulium, aceti acerrimi ſing.parteis æqualeis. miſceantur cum farina ſeminis lini,& fingatur cataplaſma. vel. ℞.thyrſorum caulium ʒ iiij. axungiæ porcinæ aqua roſacea lotæ ʒ ij. miſce & vnguentum confice,quo locus dolore affectus inungatur.hoc autem medicamen Paulus aſſerit multis præſidio fuiſſe, & nos iam aliquoties experimento didicimus. vel. ℞. althææ foliorum. q.ſ. coquantur, & ſubigantur cum polline, aut hordeacea farina,deinde partibus dolentibus applicentur. Probatur autem anodynum iſtud ob id ab Aëtio,quòd leuiter diſcutiat,& exiccet.

His verò medicamētis ſi doloris peruicaciam domari poſſe non ſenſerit Medicus: decoquatur chamęmelum,melilotum,fœnigręcum,aut centaurium, atque horum decocto partes affectæ foueantur, aut aqua in qua bullierint cappares irrigentur: ſed ante omnia tradunt Trallianus,& Ægin.vtiliſſimum fore (etiamſi moleſtus iam fuerit calor) particulas dolore oppreſſas decocto foueri thymi, origani,ſatureiæ, & calaminthæ ex aceto acri, quod adhuc calidũ poſt bullitionem partibus afflictis ſuperfundendum, atque id pluribus vicibus faciendum,admonent.

Quòd ſi ne his quidem cruciatus ſæuitiem remitti perceperimus,ad narcotica, ſeu ſtupefacientia medicamina,veluti ad extremum ſubſidium, cōfugiendum erit. Quorũ formulas aliquot,quàm potuimus

mitiſſi-

mitiſſimas, huc attulimus. ℞. micæ panis bene triti, & lactis miſtorum lb.j.in his diſſolue opij ℥ j.s. croci ʒ ij. cuncta ſimul coacta dolori admoueantur, & crebro iterentur. vel. ℞. caſtorei, opij, ſing. ℥ j. croci ℥ s. permiſtis omnibus informetur vnguétum, addita roſacea. vel. ℞. amyli ℥ iij. farinæ fœnig. ℥ j.s. papaueris albi ℥ s. caphuræ, croci, opij ſing. ʒ ij. commiſceantur cum lacte muliebri, & eis illinatur affectus locus, quem, dum iſtud medicamentum auferre ſtatueris, aceto lymphato diligẽter irrigabis. vel ℞. opij, croci, ſing. ℥ j. & cum tribus ouorum vitellis, oleoque roſaceo, miſceantur parti laboranti applicanda. vel. ℞. papaueris albi ſatiui ʒ ij. lactis muliebris ℥ ij. olei roſacei ℥ s. miſce.

Quid dolore iam remiſſo agendum.

CAPVT IIII.

VBI VERO his medicaminibus anodynis, & præſertim narcoticis rabies dolorifica ceſſerit, ſedulò curandum eſt, vt ilico partes ipſas articularias calefacientibus refoueamus. alioqui periculum eſt, ne ita debiles, & intemperatas eas efficiamus, vt quibuſuis fluoribus in poſterum obnoxiæ reddantur. Chamæmelo igitur, meliloto, fœnigræco, roſmarino, ſaluiæ floribus, origano, ſatureia, ſinapi, pipere, atque id genus calorificis admotis artus conſolidabimus. quinimo cruciatu iam in totum ſublato, aut ſaltem multo mitiore facto, monet Alexander ea adhibenda medicamina, quæ non ſolum ſummam cutem infeſtent, ſed quæ in profundo fixa calfactoriam, & diſcuſſoriam virtutem exercere nata ſint.

In quem

In quem quidem vſum præſentaneum hoc habetur medicamentum. ℞. adipis ſuilli veteris, butyri ſing.℥ j. olei veteris vel nardini ℥ ij. muccaginis ſem. lini, & fœnig. ſing.ʒ iiij. ammoniaci, & galbani in aceto macerati ſing.ʒ iij. croci ʒ s. ceræ q.ſ. fingatur ceratum. vel. ℞. caſtorei, thuris ſing.ʒ j s. medullæ ceruinę, adipis anſerini ſing.ʒ iij. oleorum anethini, & nardini ſin.℥ ij s. bdellij, & galbani in aceto diſſoluti ſing. ʒ iij. farinæ ſem. lini, & fœnig. ſing.ʒ iij. s. ceræ q.ſ. Fiat medicamentum omnibus permiſtis: hoc verò prę ceteris admirandæ virtutis eſſe prędicatur. vel. ℞. ſucci rad. ebuli ʒ iij. reſinæ pinus, & terebenthinæ ſing.ʒ iiij. ol. chamæmel. & vulpini ſing.℥ ij. muccaginis ſem. althææ, ſem. lini, fœnig. ſin. ʒ. ij s. opopanacis, ſagapeni, ammoniaci in aceto diſſoluti ℥ s. croci ʒ j. adipis porcinæ ℥ j. ceræ q.ſ. formetur ceratum.

Nobis autem ſcriptum reliquit medicamentum quoddam Valeſcus eximiæ ſanæ energiæ. Siquidem reſoluendi ſine attractione, calefaciendi, extenuandi, neruos ligamentaque, & iuncturas roborandi, membraque neruoſa confortandi facultatem ſcribit obtinere. Quocirca podagræ, iſchiadi, imo cuiuis articulorum dolori plurimum conferre ab eodem iuſtis nominibus ſcriptum eſt. Recipit verò Olei roſacei lb. vnam. olei chamæmel. lb. s. ſucci rad. ebuli, rutæ ſing. ℥ iij. vermium terreſtrium lb. j. Incidantur minutim vermes, & coquantur cum reliquis omnibus dum conſumpti ſint ſucci. deinde per colum tranſfuſis addantur ceræ ℥ iij. terebẽthinæ ℥ ij. Bene ſubactis omnibus formetur vnguentum.

De Vi-

De victus ratione in ipso paroxysmo obseruanda, CAPVT. V.

TAMETSI suprà abũdè de dięta Arthritico retinenda dicta fuisse videri possit: quia tamen ea neglecta, aut nõ satis religiosè obseruata, vix vllum ex medicaminibus seu catharicis, seu topicis leuamen percipi valeat: visum est non abs re, vel tribus, quod aiũt, verbis indicasse, quî cibandus sit æger affligente dolore; quum præsertim eo tempore seueriori cura, & strictiori obseruantia alendus sit. si itaque Arthritici corpus humore phlegmatico redundet, vtilissimum sanè foret inediam perferre. nam Hippocratis testimonio: Corporibus humidas carnes habentibus famem adhibere conuenit, vt humiditatis corporeæ exuberantia restringatur. adde quòd ea phlegmatici humoris sit natura, vt ieiunio in sanguinem conuertatur, & in alimentum corporis partibus cedat. si tamen æger famem tolerare recuset, aut ipsi Medico non videatur imperanda, saltem vt extenuantia, & siccantia edulia sumat, cura adhibenda est. in hoc verò genere sunt passerculi, aues montanæ, vnæ passæ, cappares, iuglandes, pisciculi saxosi, sed assi; aut si elixare magis iuuet, fœniculum, hyssopus, satureia, pulegium, serpillum, & his similia elixationi sunt adijcienda. Vinum autem alibi in totum abdicauimus, aut perparcè gustandum concessimus. reliqua verò quæ ad victus rationem hîc necessaria esse iudicari possint, suprà tibi petenda sunt.

De Arthritidis curatione reliquis humoribus corpus aggrauantibus,

CAPVT VI.

QVOD si vna cum Arthritico humore (quem iam sæpius phlegmaticum esse ostẽdimus) alius præterea,

vt pote biliosus, sanguineus, aut melancholicus, sua quantitate corpori sit infensus, geminum tunc medicus sibi scopum proponere debet: vnum pituitosi humoris, tanquam caussæ principis, depellendi: alterum ab vno, aut à pluribus reliquis humoribus infestantibus, corpus vindicãdi. quorum quidem notæ quomodo ex corporis temperamento, ex ętate, regione, anni parte, victus ratione, animi affectibus, & similibus innotescere possint, quia apud tam multos, & tãtos scriptores facile reperire sit; superuacaneũ nobis visũ est, de illis operosiùs hîc tractare. singulorũ itaque è corpore exonerationem potiùs aggrediemur.

De biliosi humoris Arthriticum aggrauantis expulsione, CAP. VII.

BILE in corpore arthritico efferuescente consultissimum fuerit, cum ijs quæ articularium humorem præparant, aut expurgant, etiam admiscere ea, quæ bilis malignitatẽ refrenant, & depellunt. quod quidem, si quis formulas tum præparatorias, tum purgatorias suprà descriptas, paulò accuratiùs pensitauerit, à nobis factitatum comperiet: propterea quòd pituitæ quôpiam influenti sæpe bilis, ob maximã eius tenuitatem, admista sit. Sed quia hoc loco statuimus exuperantia peccantẽ expellere: ideò illi paulò magis aduersantes formulas præscribemus. non inutile igitur fuerit vomitum aqua tepida hausta, & cum aceto modico, aut syrupo acetoso permista, pertentare. deinde sensim & pluribus vicibus, per inferiora ipsam bilem educere; ægrotantis interim semper habita ratione virium. quæ si fuerint paulò imbecilliores, suffecerit hoc modo purgauisse. ℞. mellis aërei ℥ ij. catholici ℥ s. aquæ cichorij ℥. iiij. paretur his permistis hau-

ſtis hauſtus. Sed quia nō rarò euenit, vt purgatio repeti poſtulet(quod ſanè conſultius ſit ſenſim, quàm confertim euacuaſſe) medicaminum copia opus eſt, ne ſi eadem crebriùs vſurpemus, ipſa ignaua, & inania fiant. Mellis itaque aërei loco ſufficere poterit Medicus caſſiæ recenter extractæ ℥ j.s. aut ſacchari violacei ℥ ij.s. aut zulapij ex pluribus infuſiōnibus roſarum ℥ iiij. loco verò catholici præſcribere licebit nunc draphoenici ʒ iij. nunc diacarthami ʒ ij.s. adiectis aquis, quas cenſebit medicus congruere: qui ſi arbitrabitur paulò vehementioribus opus eſſe, catapotia inſtituentur hæc. ℞. rhab. ʒ j. Agarici ʒ s. corticum myrob. citrinarum & empeliticarum ſing. ℈ j. omnibus permiſtis formentur catapotia. quorum deuorandorum doſim medici peritia conſtituet. His autem in ventricnlum traiectis, ſtatim aſſumet æger ſyr. ex pluribus infuſionibus roſarum rub. ℥ iij. Neque fortaſſe incommodum fuerit hoc tempore enematibus vti lenitiuis; quemadmodum neque infrugiferum, vbi perceperit medicus bili ſanguinem affluenter eſſe permiſtum, venam ante purgationem tundere, modicam ſanguinis educendo copiam. His verò decenter, & medico duce, amminiſtratis: ad topica medicamina deueniendum eſt, quæ partes dolore oppreſſas mitigent, ac modicè refrigerent. quoniam immodica partium afflictarum caliditas materiam ad ſe allicere & grauiorem dolorem excitare ſolet. Huiuſmodi autem prudentis medici induſtria facilè ex eis, quæ paulò ante cap. 3. deſcripta ſunt, ſeligere poterit. alioqui Trallianus ipſe huic vnguento primas aſſignauiſſe videtur. ℞. olei roſacei q.ſ. & admiſce ouorum vitellis, dum vnguenti formam accipiat. Paulus itidem hoc medicamen probauit, ſed

vini modicum,& aceti adijci voluit. Cæterum eo vtendi modum hunc habet Alex. videlicet, vt partes affectæ tum vesperi ante somnum, tum mane illo, leniter fricando, oblinantur. Corpore verò bilioso existente, & ardore vltra modum sęuiente Barth. Montagnana, vir in arte medica quondam præstātissimus, adhiberi iussit sequens medicamentum. ℞. sem. psyllij ℥ iij. aquæ q.s. coquantur vsque ad viscositatem, deinde exprimantur per pānum aliquem. hinc, abiecto semine, ceræ ℥ iij. & olei communis ℥ vj. adijce & rursus coque, cuncta assiduè tudicula agitando, dum liquefacta fuerit cera. tum in pila contunde ac demum locos affectos inunge. Hoc autem vnguentum tantis laudibus ipse Mont. dignum esse arbitratus est, vt diuiuum appellandum censuerit. Alexander uerò, Aëtius, & Ægineta psyllij semen, in similē vsum, similiter coquunt, sed cocto, & viscositatem nacto farinam hordeaceam admiscent, testantes mirabiliter id dolores mitigare, ardorē affligentem restinguere, & parteis affectas ad temperiem bonam reducere. Quibus autem remedijs furenti iam dolori obuiam iri debeat suprà cap. 3. huius tractatus satis superque dictum esse existimaui. sed priusquam hinc abeam, nequaquam silentio paætereundum est, Arthritico toto hoc tempore, maximè cauendum esse à repletione, & inedia immodica, à Venere, ira, furore, vehementi labore, & (vt summatim dicam) ab omnibus eis quę corpus notabiliter excalfacere possunt.

De Sanguinei humoris Arthriticum aggrauantis euacuatione, CAP. VIII.

PRÆCIPIVNT vnanimi cōsensu Medicorum coryphæi, vt, sanguineo humore in corpore exuperante,

rante, protinus (si nihil impedimentum adferat) venæ sectio instituatur. neque verò semel (teste Aëtio) sed iterum atque iterum, & pluries detractione paulatim repetita. Secandam autem aiunt venam brachij internam, aut si hęc non appareat, Mediã, idque è directo pedis, aut cruris articulari influxione affecti. quòd si manus infestentur, seu læua, seu dextera, eadem seruabitur oppositio. Scrupulũ fortasse aliquem cuipiam adferre posset, quòd, cùm Aëtius, atque eius imitatores Antonius ab Altom. & Leon. Fuch. dextræ meminerint, sinistram pertransierint. sed cùm in vtroque crure oppositionem attendi Aëtius iusserit, non potest esse dubium, quin idem obseruari velit in vtrauis manu. quare rectè & dilucidè ita scripsit quidam: Secanda est vena in brachio è directo cruris affecti, & ita in reliquis obseruanda oppositio. Porrò manuum articulis laborantibus vena poplitis, aut malleoli tundēda instituetur. neque verò mediocri obseruatione dignũ putamus, quod scripsit Ægineta: nimirum eos, qui iam sæpius huiusmodi fluxionibus fuerunt cruciati, plus noxæ, quam auxilij ex sanguinis detractione percipere; præsertim si corpore sint imbecillo, ac frigido. proinde vt præsentaneũ ex venę sectione leuamen experiaris, id in ijs qui non ita pridem morbum sunt experti, & verno tempore, perficiendum tibi est. quod planè confirmans Cor. Celsus de articulorum doloribus lib. 4. cap. vlt. loquẽs: Vbi sentiri cœperũt, inquit, sanguis mittẽdus. id enim inter initia statim factum sæpe annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem totam præstat. Cæterum vsque ad quantum temporis spacium curatio sperari possit, etiam dicendum videtur. Galen. itaque commen. in lib. 6. apho. 47. nobis (quod &

alio diximus loco) ita ſcriptum reliquit: Quin podagram, & arthritin adhuc incipientem, necdum in articulis callo, ſeu poro genito, per talem vacuationem (quæ quidem qualis eſſe debeat, ſuprà oſtenſum eſt) multos iam annos fieri prohibuimus. Alexan. verò indefinitè magis loquens, ſic ait: Speret autem vnuſquiſque quod ſi animum diligenter ſcriptis à me intendat, multos iuuabit, non modo morbi principia ſubeuntes, ſed etiam diu iam eo conflictatos.

Quid à venæ ſectione moliendum,
CAPVT IX.

INTERPOSITO à venæ ſectione momento aliquo tẽporis, materiei arthriticę, atque illius, quæ cũ ſanguine fortè videatur corpori inimica, purgatio tẽtãda venit, modis quidẽ & formulis abundè iam demonſtratis. quin & topica ipſa ex ſuperioribus ab induſtrio medico fere omnia peti poterunt. tantum hîc dicemus vtendum cataplaſmatis, quæ inflammationes mitigare queãt, citra fluxionum prouocationem. cuiuſmodi Aëtio ſunt farinæ hordei fabarum, fœnigræci, & ciceruin tritæ, ac vino affuſo coctæ, cum aquæ modico, & oleo roſaceo adiecto. quanquam & eædem farinæ ſingulariter ſumptæ, & in poſca, oleoque roſaceo decoctæ etiam dolorem leniendi vim obtineant. magnum præterea momentum adferet iſtud medicamen. ℞. lactis caprilli, ſeu bubuli ℥ s. vitellos ouorum duos, olei roſacei ℥ j. croci ʒ s. aceti pauxillum, farinæ hordiaceæ, aut fabaceæ, aut etiam micæ panis ſecalei quantum ſufficere videbitur, vt ex coagmentatis formetur cataplaſma, quod membro dolenti apponatur creberrimè permutando, ne ipſa cataplaſmata tempore refrigeſcant: quoniã partibus affectis

affectis maximè perniciosũ est frigus externũ. ideóque Aëtius foris lana, aut molli panno contegi cataplasmata pręcipit. quod si partes ablutione indigeãt, non oleo, sed posca, ex Aëtij præcepto, aut alicuius austeræ plantæ decocto, eas fouebimus.

De victus ratione in paroxysmo obseruanda,
CAPVT X.

NORMAM, & libellã victus rationis, in quouis casu, Arthritico quærendam iubemus ex huius libri tractatu tert. vbi ex composito eam materiam, quanta à nobis fieri potuit sedulitate, & labore tractauimus. quia tamen nunquam satis inculcari posse existimaui, repetam hîc, abstinendum esse à cibis potenter nutrientibus, & qui sanguineũ humorem increscere faciant. à vino denique, si fieri potest, prorsus se Arthriticus continebit. neque tantùm is, qui multo sanguine exuberat: sed (vt & alibi dictum est) cuiuscunque temperamenti fuerit. est enim cuiuis, nec tantum in paroxysmo, maximè inimicum; cùm præsertim sobrietatis (quæ meritò bonæ valetudinis mater dicitur) fines quisquam transcenderit. atque hæc cùm nemo sani cerebri non fateatur esse verissima, & rationi maximè consentenea: nescio quo tamen fato nostræ regionis plerique podagrici omniũ strenuissimè vino, & cupedijs, nulla eos morbi sui memoria remorante, indulgeant. Non video sanè, in quo id genus homines, à matribus enitentibus, differant. illę enim fœtu iam erumpere volente tam diris, & tam atrocibus differuntur doloribus, vt coniugales lusus abominari, detestari, atque prorsus deuouere ingenti clamore sæpe audiantur. sed postquam partu leuatę cibis opiparis, & potu nectareo habitiores

res paullò fieri incipiunt: tum videas dolorum omnium oblitas puerulo blandulè arridentes, cum assistente famula iocantes, & tandem ad maritos lasciuiusculè alludentes. Sic & his, dolore iam excarnificante, nihil videtis sobrius, castius, aut temperantius. Vina, Venerem, & luxum omnem diris imprecationibus abdicant. Sanctè promittũt sese illis bella semper indicturos, atque odio hostili habituros. Simulatque verò humore, qui torquebat, consumpto, desijt sæuire dolor, & ariculi vtcunque firmati in publicum prodire permittunt, stipulatione neglecta, & tormentis è memoria reiectis, inter Apitios, & Promachos, inter Thaidas, & Laidas tanquam pro ingenti brauio certantes, inuenias. Atque hinc fit, vt huius farinæ homines suum illum aduersarium, quantumuis medicorum auxilio adiuti, nunquam ab humeris suis excutere queant. Neque si adhuc sint superstites diuinus ille senex Hippocrates, aut Pergamenus Galenus: imò nec si Dij, & Diui, quibus poëtæ medicinæ inuentum, aut incrementum attribuunt, adesse dignentur, vllum vnquam remedium his adferre valeant. Qui igitur sibi bene consultum volent, temperantiã amplectẽtur, ganeones, nepotesque odio persequentur, & vini indulgentiam, vt pestem teterrimam, abhorrebunt. Quod si faciant, id, dubio procul, consequuturi sunt, vt perfectam curationem adipiscantur, aut breuiore temporis spacio, & longè remissiùs affligantur.

De atrabilarij humoris Arthriticum opprimentis euacuatione, CAPVT XI.

Si copiosum sanguinem cum humore melancholico permistum in Arthritici corpore perceperit, venæ sectionem imperabit. Sin autem nullum, aut pau-

cum

cum,euacuationem per inferiora instituere satius erit: semper melanagogis phlegmagoga admiscendo. Sed cùm sit hic humor reliquorum omnium pertinacissimus, & solutioni maximè renitẽs, præparatione ante cęteros indigere puto non esse necessum admonere; quẽadmodũ neque quomodo aut præparatio, aut purgatio sunt instituendæ: cùm id vbique sit in auctorum libris maximè obuium, & expositum. A vacuatione igitur ea locis affectis adhibebimus (ex Aëtij sententia) quæ leuiter calefacere, attenuare, & discutere possunt. in quorum grege habentur lauri folia teneriora, pastinacæ, caucalidis, hoc est, dauci syluestris, brassicæ, conizæ, iridis, ocymi, nasturtij, & pleraque alia, de quibus suprà, vel ad nauseam vsque tradidimus. Hæc autem cum medulla panis, & antea memoratis farinis, adipe anserino, gallinaceo, aut butyro sunt cõmiscenda, quò leuiora, & mitiora in admotione efficiantur. Cætera autem, quæ hîc præcipi poterãt, vt victus ratio, medicamina anodyna, narcotica, & si quæ sint his affinia, nullo negotio ex antea dictis percipi possunt. quare prudẽs eis supersedeo.

De tophorum generatione, & curatione,

CAPVT XII.

GENERATVR nonnunquam circa ipsos articulos materia quædã velut lapidosa, aut cretacea, quam tophum Latini, & Gręci (vt aliâs diximus) πῶρον nominant: post cuius generationem Galenus vetat ad pristinam constitutionem posse quenquam exactè redire, sperare. Quod & ante ipsum Hippocr. prædicto lib. 2. nos docuit his verbis: Qui iuuenis est, & circa articulos tophaceos callos nõdum concretos habet, quique & accuratè viuit, & laboris amans est, atque aluum bonam pro studiorum ratione habet; hic si po-

dagra laborat,& medicum prudẽtẽ nactus eſt, ſanus fieri poterit.In ſenibus autem, in calloſis artubus, in ærumnosè viuentibus,& arida aluo præditis, ab arte humana parum ſpei reliquum eſt.Qua profectò ſententia(vt rectè Guilielmus Pantinus in ſuis ſuper librum 2.de medicina Cornelij Celſi cõmentarijs ſcribit)ſapientiſſimus ille omnis medicinæ, ac philoſophiæ parens omnem cauſſam cõplexus eſt, quáobrẽ in alijs ab arte medica ſalus in podagra,atque omni arthritide deſperetur;in alijs proſperè cõſequatur. Quin & poëta ille Sulmonenſis in eandem ſententiã cecinit: Tollere nodoſam neſcit medicina podagrã. Itaque qui eo modo affectus eſt, id vnum quærere debet quomodo iam natam materiam, quæ miſeros articulos mirè diſtorquet,eximere poſſit. quod quidem,vbi quo pacto generetur,dixerimus, oſtendere conabimur.Tophi igitur inde procreantur,quòd humor articulo impactus partim noſtri caloris vi, partim medicaminũ diſcutientiũ,& reſiccãtiũ vehementia craſſeſcat, & dum parte ipſius tenui diſſipata,diſſolutaque nihil aliud remaneat, quàm fex quædam terrena,in calculos concreſcat. Ob quam rem ſummo ſtudio cauere debet medicus, ne in curatione immmodicè diſcutientia, & exſiccantia, ſine eorum, quæ emolliendi virtutem habent,miſtura, particulis affectis admoueri præcipiat. Ex radicibus igitur althęæ,& bryonię,ex folijs maluæ,branchæ vrſinæ,vrticæ,abrotoni, marrhubij, & ſimilium aqua decoctorum informabuntur cataplaſmata,ſed adijciendo bdellium,galbanum,ammoniacum,opopanacem,& huiuſmodi cum adipe ſuillo, caprillo,vitulino,anſerino, & ſimilibus, & cum medullarum omni genere, ſed præſertim ceruino. quibus præter emollientem

lientem naturam, etiam diſcutientem tribuit Aegineta. cuius ſententia quoque eſt, admirandam virtutem, & proprietatem in hoc malo ineſſe peruetuſto, & peracri caſeo trito cum ſuillæ carnis præpinguis, ac veteris decocto, atque articulis appoſito. Quin & ficus quoque triti, & impoſiti mirificè prodeſſe feruntur; quemadmodum & ſequens emplaſtrum. ℞. ammoniaci, bdellij diſſolutorum in oleo liliaceo ſing. ℥ s. caſei antiquiſſimi, & acerrimi ℥ i. s. ſeminis naſturtij ℥ s. formetur emplaſtrum. quod quidem priuſquam applicetur, partes affectæ vino rubro foueri debent, in quo malua, althęa, ſem. lini, fœnigr. florũ ſambuci, anthos, ſtoechas, & huius claſſis ſimplicia medicamenta decocta fuerint. Quòd ſi hac exemplorum ſegete contentus quiſquam non ſit futurus, congerat ea, quæ ab auctoribus eruditis de ſplenetici ſchirri curatione tradita ſunt. Nam quæ illi curando congruunt, in tollendorum tophorum vſum ferè traduci poſſunt.

De Iſchiade, ſeu coxendicum dolore, CAPVT XIII.

CVM eandem propè curationem (teſtibus Ægineta, & pleriſque alijs medicis) iſchias cũ reliquis ſpeciebus admittat (cùm ab illis ferè locali tantùm differentia ſecernatur) actum agere, qui iam de ea ſeparatim tractare parẽ, meritò quibuſdam videri poſſem, niſi me, velut vmbone, Galeni teſtimonium, atque adeò ipſa experiẽtia protegerẽt: quib⁹ facilè doceri poteſt iſchiadis materiã in altiori, quàm reliquarũ ſpecierũ deliteſcere loco, & proinde pertinacius eſſe malũ, & acriora medicamẽta operoſioraq; efflagitare.

gitare. Quo fit vt ſperem facilè veniam me conſe-cuturũ, ſi de eius natura, ſede, atque etiam curatione paulo altiùs diſſeruerim. Et quia de ſede veriſſimè omnium mihi pronuntiaſſe Fernelius videtur: idcirco verba eius huc adferre conſultius eſſe exiſtimaui. Iſchias, inquit, omnium ſpecierum vehementiſſima, ſedem habet, non in eo articulo, quo femoris caput in coxendicem inſeritur, ſed altiùs ad ſummam natẽ, qua nerui à lumbis, & ab oſſe ſacro emergentes (id autem circiter 25. 26. aut 27. fit vertebram) feruntur in crura. Dolor atrox non in ſola eſt coxendice, ſed in femur, & in ſuram, & in extremum pedem exporrigitur; quocunque nimirum ab effecta coxendice deductus neruus pertingit. raró tumor ineſt conſpicuus, rariùs calor, aut rubor: quòd eius loci ſumma cutis venis cõſperſa minimè ſit. Addit verò Valeſcus medicorum diligentiſſimus, quandoque pedẽ, crus, & coxam macie quadam, & tabe extenuari.

De Iſchiadis curatione, CAPVT XIIII.

A QVIBVS ſit Iſchiadici mali auſpicanda curatio, non parum inter ſe medicorũ etiã celeberrimi variare videntur. Nam cùm multiplex, ac varius ſit huius curationis ineundus callis, & vnus hunc, alius verò alium ſequendum, diuerſis rationibus ſeſe offerentibus, doceat: factum eſt, vt ambiguitas quædam in legentium mentem irruperit. Sed eorum ſuper hac re, qua potui diligentia, penſitatis rationibus ambiguitatem ipſam elucidari poſſe exiſtimaui. Dicemus igitur, ſed ὑποθετικῶς, quid illi faciendum ſenſerint. In recẽti dolore ſi ægrotantis corpus vniuerſũ ſangui-

ſanguinis multitudine (quanquam id rarò fieri Galenus ſit teſtis) inundarit, neque exquiſitam venæ ſectionem eum ferre poſſe medicus perceperit, ipſius cubiti primò vena, quæ Baſilica dicitur, ſecanda eſt, reuulſionis duntaxat gratia. Deinde ex malleoli vena interiore, ſi dolor ad interna tendat, aut exteriore, ſi ad externa, ſanguinem eliciemus. Sin autem malum iam inueteratum fuerit, & vires ferant ſanguinis copioſam miſſionem, corpusque totum haudquaquá fuerit multo ſanguine refertum, ſed quę in coxa ſunt venæ ſanguine impletæ fuerint, tunc crurum venas tantùm aperiemus, & inde copioſum ſanguinem detrahemus. Ea autem ſectione peracta, ſi dolor neutiquam ceſſerit, Galenus tum vomitiones (ſi modò ad eas æger ineptus non fuerit) purgationibus per aluũ vtiliores Iſchiadicis eſſe ſcribit, vt quæ humoré deorſum repentem reuellant. Fieri autem debent per initia ex cibo: poſtea etiam medicamentis in id efficacibus. Acetum igitur primò, aut ſyrupum acetoſum, deinde oxymel ſimp, aut ſcillinum cum aqua tepida præſcribemus. Atque vbi iam aliqua ex parte, tũ venæ ſectione, tum vomitionibus plethora fuerit ſublata, ſi malũ ipſum ſæuire (numeratur enim ab ipſo Auicenna inter ægritudines chronicas) non deſtiterit, & humor influxum ſuum aut in totum, aut bona ex parte remiſerit: tum purgatione per aluum vti conuenit; præſertim ſi cum ſanguine bilioſus etiam ſuccus exuberet. Auicenna verò ventrem per enemata ſolui mauult. quod etiam multum Valeſcus probauit, ad eliciendam, vt inquit, materiã frigidã Iſchiadem cauſſantem. Atque in eum vſum iſtud enema, quo ſe frequenter in hoc affectu eſſe vſum affirmat, inſtituit. ℞. Centaurij, rutæ, ſaluiæ, chamæpiteos;
herbæ

paralyſis,anthi,rad.acori, ſtoechados Arab.ſing.℥ij. aniſi ℥ i.fiat decoctio, in qua diſſolue mellis anthoſati,olei liliacei ſing.ʒ iij.agarici.hermodac.ſpecierũ diaturpeti ſing.ʒ ij.fiat enema omniũ miſtura,& iteretur ter in vna hebdomade. His quoque addas licebit hieram Hermetis, hierã Logadij, & ſalem gẽmę. Quorum tamen quanto erit minor quantitas, tantò diutiùs ab ægro enema retinebitur; vnde mai⁹ emolumentum conſecuturum eſt. Non parum etiã proderit,ſi lateri affecto tunc æger incubuerit,vt faciliùs catharticorum vis eò permanet. Rhaſis autem enema,cui virtutem attribuit iſchiadem etiam veterem curandi,iſtud deſcripſit. ℞.cort.rad.capparũ,cort. rad.colocynth.pulpæ eiuſdem,centaurij minoris,arnogloſſæ,hermodac. ſatyrij,naſturtij, raphani gallicani,ſeminis bauciæ,& erucæ ſing.p.i. fiat decoctũ, in quo diſſolue garum commune, & oleum recininum,quod Barbaris Cherua dicitur,& paretur enema. Deinde medicaminibus vtendũ crudum, & craſſum humorem deturbantibus. cuius claſſis ſunt catapotia ex hermodact.è ſagapeno, & quę fætida nũcupantur, quæque ab ipſo Haly deſcripta ſunt hæc. ℞. agarici,turpeti ſing.ʒ ij. colocynth.ʒ i.ſem. cicutæ,aloës ſuccocitrinæ ſing.ʒ s.omnibus immiſtis formentur catapotia. Vel ℞.pulueris hieræ ſimp.ʒ ij. agarici trochiſcati ʒ ij. s,excipiantur oxymel.fingantúrque catapotia.quibus deuoratis, poſt aliquod tẽporis interuallum decoctũ propinabitur ex myrob. chebul.ʒ iij,vel iiij. in quo diſſoluentur ℥ ij. aut iij. zulapij ex pluribus infuſionibus roſarum. Auxilium quoque præſtabit haudquaquam exiguum hæc potio. ℞.cort.myrob.cheb.ʒ iiij. citrinarũ ʒ ij. polyp. quernei,agar.albi,& feminei ſing.ʒi.coquãtur in ſ.q.

aquæ

aquæ ad ℥ iii. quibus per colum transfusis adijce electuarij rosati, aut cõfectionis de dactylis ʒ ij. s. syr. ex pluribus infusionibus rosarum ℥ ij. misceantur, & vicibus iteratis hauriantur. Proderit etiam mirum in modum matutino tẽpore sumpsisse aliquoties elect. diacarthami ʒ iij. Incredibile enim dictu, qua vi polleat ad eliciendũ tum pituitam, tum choleram. Addã autem & hoc loco, & si aliás id semel dictum fuisse significauerimus, materiam ipsam ante vllam purgationem esse preparandam. quod commodè fiet, ęgro exhibitis melle rosaceo, seu oxymel. simp. vel scillino, aut syrupo è stoechade, aut similibus suprà demonstratis. Hisce autem rebus ita ritè à medico administratis, vt materiam sufficienter iam euacuatam indicia appareant (quod ex mitigatione accidentium deprehendere solemus) ad topica remedia sese medicus accinget, summa interim cura hoc Galeni præceptum obseruans, ne videlicet reprimentia medicamina (quæ vulgò repercutientia dicuntur) loco patienti, & si alijs arthritidis speciebus ea concessa fuerint, admoueat. Cùm enim, inquit, in profundo materia noxia sita sit, sanguis ex vicinis, & ambientibus vasis, ac musculis ad illam concipitur, hoc est, magis ad ipsam coxam confluit. Rursum ex eiusdem monitis cauendum, ne ante iustam euacuationem acrioribus medicamentis vtamur: alioqui ægrè curabilem reddemus affectionem. præter alia enim etiam crassescit, viscosáque efficitur acrium medicaminũ calore, & siccitate tostioni simile quid sustinens. Id tamen vitij si alicuius medici imprudentia contigerit, Galenus cucurbitam affixam, & clysteres, qui ex purgantibus fiunt, qualis est etiam, qui ex colocynthide constat, maximè opitulari scripsit.

Sed vnde digreſſi ſumus, redeat iam ſermo. Loci igitur affecti principiò oleo rutaceo, coſtino, nardino, vulpino, & è caſtoreo, adiecto aceti, aut vini albi, quò vis altiùs penetret, modico irrorādi ſunt. Quòd ſi paulo acrioribus opus eſſe videbitur, oleum è piperibus, aut ex pyrethro adhibebimus. Deinde ex ſaluia, ruta, lauri folijs, ſambuci, ebuli radice, pulegio, ſauina, opopanace, bdellio, ammoniaco, althęæ folijs, & ſi quæ ſunt eiuſdem farinæ, fomenta, vnguēta, cataplaſmata, emplaſtra, aut cerata parabimus. quorum omnium ordine formulas accipe.

Fomenti formula.

℞. radicē, & folia ebuli, ſaluiam, iuniperum, ſambuci folia, decoques in tribus partibus olei, & quarta vini, deinde ſpongiam illis immerſam parti laboranti iterum, atque iterum impones, & pòſt vnguento, cuius ſequitur deſcriptio, ſubinde inunges.

Vnguenti formula.

℞. cremoris ſeminis maluarum, & althęæ ſing. ℥iij. farinæ fœnigræci, ſeminis lini, ſing. ℥s. adipis anſerini, & ſuilli ſing. ℥iiij. olei rutacei, chamęmelini ſing. ℥i. s. ceræ & aceti parum. formetur vnguentū.

Cataplaſmatis formula.

℞. foliorum althęæ, ſaluiæ, rutæ, ſambuci ſing. p. s. decoquantur, & contundantur leuiter. deinde adijciantur olea irinum è caſtoreo, anethinum ſing. ℥i. cremoris ſeminis lini, fœnigræci ſing. ℥i. quibus omnibus permiſtis fingatur cum poſca ſufficienti cataplaſma.

Emplaſtri formula.

℞. ſucci foliorū rutæ, ſambuci, calaminthæ ſing. ℥i. bdellij, opopanacis, ammoniaci in aceto diſſoluti ſing. ℥s. myrrhæ, & reſinæ terebenthinæ ſing. ℥iiij.

cre-

cremoris ſem.altheę,ſem.lini,fœnigr.ſing.℥ i.s.farinarum hordei,fabarum, lupinorum ſing.ʒ vij.picis, & ceræ q.ſ.fiat emplaſtrum.

Cerati formula.

℞.oleorũ coſtini,vulpini ſing.℥ i.s. olei de piperibus ℥ s.opopanacis, bdellij,ſtiracis,ſing.ʒ iij. rad. bryoniæ,nitri,foliorum ſambuci ſing.ʒ ij.ariſtol.rotundæ, rutæ ſing.℥ i.s. euphorbij ℈ i. gummi in acerrimo aceto diſſoluatur,& cum reſinæ terebenthinæ,& ceræ ſ.q.fingatur ceratum.Ægineta verò ſedulò monet, vt loco dolenti admoueatur lupinorum amarorum farina cum oxymelite, aut calaminthæ folia ex oxymelite, vel aqua mulſa: id enim mirè vtile eſſe ſcribit. Valeſcus autem vir magno ingenio,& induſtria ex Auicenna traduxit compoſitionem quandam,cui vim attribuit partim reprimendi, & partim reſoluendi,mitigandique,atque etiam aperiendi. ſpinas quoque, & oſſa putrida è profundo illam poſſe extrahere, nedum ex coxa materiam iſchiadicam aſſeuerauit.ea autem eſt hæc. ℞.ſem.vrticæ mundati, ſpumæ bauracis,ſalis ammoniaci,ariſtol.rotundæ,radicis colocynthidis,terebenthinæ ſing.aureos xx.fœnigr. piperis, macropiperis, cordumeni, carei agreſtis,xylobalſami,thuris, myrrhæ, adipis capræ,gummi pini ſing.aureos x. ceræ lb.iii.viſci lb. viij. lactis fici ſylueſtris aureos vij.cum ſufficienti oleo liliaceo, ad liquefaciendum liquabilia, & cum vino optimo ad conficiendũ quæ ſicca ſunt. quibus omnibus immiſtis fiat emplaſtrum. Ex eodem autem auctor idẽ adfert & compoſitionem ſequentem, quam energia affirmat pollere ſedandi dolorem intra vnius horæ ſpatium, ſiue is contingat in iſchio, ſiue in alijs quibuſcunque iuncturis. ℞.fœnig. quantum vis, &

cum aceto coque in vaſe fictili, dum ſoluatur; deinde adijce mel quantitatis ſufficientis; hinc prunis rurſus appone, & bullire ſine, quoad vnguenti conſiſtentiam nacta fuerint;pòſt amouebuntur, & parti affectæ diligenter trita, lineoque panno illita imponentur:hoc autem fiet ad biduum,aut triduũ. At ſi ne his quidẽ dolorem vinci poſſe videatur, neceſſariũ erit, ex Æginetæ,& reliquorum ferè omnium medicorũ conſilio,ad ſinapiſmos,atque adurentiũ medicamentorũ vſum ſeſe conuertere. Sinapiſmi autem ad hunc modũ cõſtitui poterunt. ℞. ſem. ſinapi in aceto acerrimo macerati ℥ ij. caricarum ℥ iiij. ſtercoris columbini in vino albo decocti ℥ iij. mellis anacardini ℥ i. miſceantur, & fiat ſinapiſmus. Valeſcus verò ab hoc pauxillum differentem ſinapiſmum hunc præſcripſit ℞. ſeminis ſinapi, & fimi columbini pulueratorum ſing. par pondus, decoctionis ficuum quantum ſat eſſe videbitur, vt illa vnguenti formam acquirant. quod vbi admotum fuerit, tubercula quædam ſeu bullulas excitabit, quas aperire conuenit, vt in ipſis humor cõcluſus effluat; deinde ipſi loco dolenti ſpongiam feruida aqua plenam applicare oportet. vel ℞. cantharidum alis reſectis, & amotis ʒ ij. ſtaphis agriæ ʒ iij. ex quibus cum fermento, & aceto fiat medicamentum. Eſt præterea herbæ quoddam genus præſtantiſſimum, cuius Galenus lib. 10. de comp. medicamẽt. ſecund. locos, Paulus Aeg. lib. 3. cap. 77. & Aëtius quaternionis primi ſerm. 3. cap. penult. meminerunt, atque ei virtutem hoc malo ſedando, profligandoque tantam attribuerunt, vt mihi religio fuiſſet, ſilentio eam præteriuiſſe. Huic igitur herbæ (vt ipſi aſſeuerarũt) nomen Iberis eſt, ſeu lepidium. cuius quidem naturam, & formam hîc deſcripſiſſemus, niſi ab ipſiſmet auctoribus, locis modò ci-

tatis facilimè quiuis discere valeret. quanquam Mathiolus, vir rei herbariæ ad miraculum vsque doctus in suis super Dioscoridem commentarijs libro primo, capite centesimo quadragesimo septimo eam clarissimè, & familiarissimè depinxerit. quo fit, vt ad eius virtutem explicandam, & vtẽdi rationem potiùs properemus. Paulus igitur eius vim tantam facit, vt non sit veritus scribere, in totum ischiadicos restitui posse sanitati iberidis vsu. Galenus verò Damocratis libellum quendam allegat, in quo dicit Damocratẽ scribere in Iberide (sic enim appellatur regio, à qua Iberis herba nomen accepit) medicum quendam amicum suum per hanc herbam integrè curatũ fuisse. Sed cùm Damocrat. ipse versus quosdam iambicos sanè politos, & rotundos cùm de herbę energia, tum de vtendi modo cõscripserit, non potui quin eos hîc adscriberẽ, non equidẽ vniuersos, sed qui ad nostrũ negotiũ facere maximè videbantur. Scribit autẽ sic:

Hanc erutam larga satis cape copia
Æstate: nam tunc optima, & fortissima est
Adhuc recens, siccata sed fit debilior.
Tusam hanc probè (nam difficulter tunditur)
Pauca subactamque excipies axungia,
Crurique toti, & maximè coxendici
Adhibebis, & ligabis, & sines duas
Horas mulieribus, viris sed quatuor.

Quę autẽ sequũtur prolixitate, & nescio quibus remoris offẽdere nõnullos fortasse queãt. Proinde placuit ea in pauca conferre, & planiùs paulò explicare. Subactã igitur (quod ipse dixit) iberidis radicẽ cum pauca, & veteri axungia suilla linteo illines, & loco laborãti admouebis, neque diutiùs adhærere permittes, quàm ipse pręcepit, vtriusq; sexus habita ratione.

Siquidem tumores cum ardore,& rubore non ſecus quàm pharmaca ſinapiſmi dicta excitare ſolet. Quid verò his peractis ægro faciendũ fuerit,ex ipſius Damocratis verſibus reliquis ferè ad verbum , ſublata carminis lege,deſcripſit Aëtius. quæ ferè ſunt huiuſmodi.Poſtea in balneum inducito ęgrotantẽ,in quo vbi modicè exſudauerit,in ſolium immergito,idque fortiter perferre cogito : morſum enim cum ardore initio inferre conſueuit:deinde educito. ferme enim ſemper(vt Damocratis verſus promittunt)accidit,vt quamuis ab alijs eò fuerint importati,ſua ſponte pedibus ingredientes, exeant. A balneo autem vinum paucũ multo oleo affundito , & cõquaſſata illinito. paulò pòſt ijs aſpero panno deterſis , crus ipſum leniſſimis lanis cooperito.Et ſanè conſueuit hoc pręſidiũ nullo alio inde auxilio indigere. quod ſi tamen aliquando mali veſtigiũ relinquatur, 20.diebus interpoſitis,rurſus eodẽ pręſidio vtẽdũ erit.Interiectis tamen diebus non fuerit inutile ceratũ ſuprà deſcriptũ coxẽdici imponere.Cęterũ,quoniã ea eſt vitæ noſtrę miſeria, vt mala nõnulla ſeu temporis diuturnitate,ſeu corporis prauo tẽperamẽto,ſeu morbi natura,pertinaciã penè inexpugnabilẽ obtineãt , eueniet forſitã, vt nec remedijs tã præſentaneis dolor iſchiadicus cedere velit.Quare tum ad vſtiones per cauteria,velut ad ſacram ancorã , perfugiendum erit.Plurimum igitur contulerit diuturnis coxendicũ doloribus,ſi igne ſub genu externa in parte inuſtio facta fuerit.Porrò plures ferro candente vrendi modos apud Paulũ lib.3.cap.77.& apud Aëtium lib.12. cap. 3.inuenies.quos ideo omittimus , quòd eorũ quàm rariſſimus in hoc affectu ſit vſus: nec niſi ſalute ferè deplorata, eò deueniendũ medicorum ordo cenſeat.

IOANNIS SYLVII INSVLENSIS DE MORBO GALLICO DECLAMATIO, LOVANII IN SOLENINBVS DISPVTATIONIBVS HABITA.

NON ignorabã, auditores humanissimi, & eruditissimi, apud quos vix mediocriter in sacrosanctæ medicinæ adytis versatus, de re difficillima, vtpote morbo Gallico (qui ob id quòd nouus sit, nec veterum medicorum heroibus cognitus, caligine, & tenebris offusus est) verba me facere pararẽ. Quia tamen minimè mihi dubiũ fuerat (quæ est vestra prudentia, ingenijque dexteritas) vos satis videre, quãta me necessitas, quãque durum telũ, in hanc descendere palæstram, licet imbecillum pugilẽ compulerit, ausus fui vestro me conspectui offerre, obsecrans; atque obtestãs, vt quãuis nihil nisi ieiunum, & triuiale fortè dicturum, vestris tamen auribus placere adnitentẽ, & vtilitati vestræ consulere laborantẽ aliquantulo tẽporis spatio ferre non dedignemini. Quoniam verò in quibusuis actionibus magnum emolumentũ, magnãque gratiã adfert lumen, & facilitas: quò dilucidiores, & magis perspicui essẽmus, declamatiunculam hanc in partes quatuor distribuere statuimus; in quarũ prima morbi originẽ cum definitione, in secunda notas, seu iudicia, in tertia curationẽ, & in quarta præcautionem demonstrare sumus conaturi. Definitur itaque malũ ipsum hoc modo: Gallicus morbus est soluta continuitas, ab exustis humoribus per contagium ferè in cõcubitu genita, à malignis quibusdam pustulis incipiens, pudendaque plerunque, deinde reliquas corporis exteriores partes, & caput præcipuè inficiens:

dehinc intimas partes ingressa, dolores circa articulos, & ossa, noctu præcipuè faciens, atque abscessus duros in pessima adeò vlcera, vt ossa quoque plerúque vitient, post longum tempus desinentes. Est verò hæc definitio viri inter neotericos medicos eminentissimi Ioannis Manardi; quam quidem si verbosiorem, & prolixiorem, quàm definitionis natura fortasse postulet, esse dixeritis; fatebimur quidem: sed id vir doctissimus fecit, vt cauillandi occasionem omnem, tanquam Tinedia bipenni amputaret. Non deerant enim eius ætate, qui affectum hunc elephantiasin, lepram, mentagram, siphatum, vel lichenem esse mordicus defendere vellent. cæterùm quàm toto cælo aberrauerint, & plusquam δὶς διὰ πασῶν (vt Græcorum fertur prouerbio) ab ipsius morbi syncera cognitione abfuerint, ex modò audita definitione, & ijs, quæ deinceps dicturi sumus, indicari poterit. Sed iam definitione tradita, morbi originem vt vobis apetiamus, ratio postulare videtur; quanquam tam variè (adeò difficile negotium pestis ista medicis facessiuit) à varijs proditam repererim, vt cui opinioni adstipularer, propè anceps nobis relictum fuerit. Quidam enim cum Ioanne Baptista Montano medico sanè celebri sentiunt ab Indicis quibusdam gentibus ortum habere: sic autem ille narrat: Anno à Christi natiuitate 1492. quidam miles Columbus nomine, & natione Genuensis vnà cum multis Hispanis accessit in Indias illas nouas, in quibus permulti Hispanorum hoc morbo, cùm sit ibi familiarissimus, & non secus, atque apud nos scabies, frequentissimus, correpti fuere: qui deinde ad suas regiones, & ad nos reuertentes multos ex nostris infece-

infecere. Sunt deinde & in his, qui ad huius opinionis adſtructionem addunt, nos ab eo populo hunc morbum curandi rationem, per lignum illud, quod ſanctum, ſiue Indicum nominamus, didiciſſe. Sed horum ſententia nobis non eſt viſa vero ſimilis. nam & ſi loca illa à nobis noua nuncupentur, & noſtro ſæculo, aut fortaſſis aliquot retroactis non fuerint noſtro orbi cognita: quomodo tamen credibile fuerit, vt illa tam multos coſmographos, medicoſque Italos, Græcos, Afros, Ægyptios, Arabes, Chaldæos, qui vniuerſum propè orbem peragrantes ſurſum, deorſum curſitarunt, vt artem ſuam locupletarent, & confirmarent, latere potuiſſent? Sed neque ſententiæ eorum ſubſcribere potui, qui huius affectus cauſam eclipſibus, & infortunatorum adſpectibus, Saturni videlicet cum Marte in vigeſimo quarto gradu Scorpionis, adſcendente decimo gradu Leonis, aſſignandam contendunt, dicentes ex Saturni ſiccitate, & Martis caliditate in ſigno frigido, & humido plurimam in humoribus natam eſſe exuſtionem, & putrefactionem, ex quibus lues iſta emanauerit. Siquidem (vt rectè Manardus epiſtolarum medicinalium ſeptimo colligit) nihil huic morbo cum aëris vel humore, vel qualitate aliqua commune eſſe poteſt, & proinde Epidimicus nequaquam dici poſſe: cùm ille dicatur (Galeno in proœmio enarrationis in librum Epidimiarum Hippocratis teſte) qui pluribus ex inſpirato aëre communis eſt. At quæcunque, inquit Manardus, ſit aëris conſtitutio, ſi vir infectæ, aut mulier infecto miſceatur, rarò accidit, quin vterque polluatur. Sanior igitur nobis videtur eorum ſententia, qui

annis ab hinc 62.quo tẽpore Carolus viij.Gallorum rex,cognomine Gibbosus, Neapolin oppugnaturus in Italiã exercitum introduxit, hunc morbum suppullulasse arbitrati sunt. Nam dum quidam ex Gallis dulci fortuna forsitan ebrius (victores enim Galli per totam Campaniam grassantes luxuriabantur) libidinosa titillatione obsideretur, in meretricẽ quandam incidit forma admodũ venusta, & planè illice, quæ paulò antea (vt auarum genus mulierum pecuniæ gratia nihil non subire audet) cum quodam, qui elephantiasi,malo lepræ simili,laborabat,rem habuisse comperta est.Ex hoc igitur cum ea amplexu miser Gallus mirificum illud donum est consecutus. Porrò quia,vti diximus,Harpyia ista specie, & vultu esset admodum decoro,& blando (neque enim adhuc tabes illa eius faciem contaminauerat) cõplures milites illius noctes incauti redemerunt. qui & ipsi inquinati alias mulieres inquinantes tandem contagẽ istam,quam antea nulla ætas fuerat experta, quàm latissimè propagauerunt.Et nunc adeò nostræ Europæ hominibus familiaris facta est, & frequens, vt quidam tam horrendum,tamque exitiale malum experti, tamen cauere non possint, quin subinde idem incurrant;adeò vt iam vulgari feratur prouerbio,illum nobilitatis titulum promeruisse, quem tertiò morbus repetiuerit.Nimirum isti diui Iobi symmistæ sese in hac tanta afflictione ioculari dicto consolantur, cùm nullus sani cerebri homo non debeat tenuissimæ,& vilissimæ sorti talium nobilium conditionem posthabere.Illi tamen,si dijs placet, hac ignobili nobilitate sibi placentes iam aulicorum mores, & ritus sibi imitandos proponunt. Ocreas ex tenui aluta tibijs suis inducũt.Candidulas,& tenellas manus chi-

rothecis

rothecis odoriferis veſtiunt. Puellas, matronaſque domi, in vijs, in foro, in templo, nuſquam non ſuauiter baſiant, atque molliter medias amplectuntur. hoc vnum nobilitatis exercitium in eis deſideres, quòd membra trahentes amplius tripudiare, & lacertos exerere non poſſint. Sed mirum fortaſſe quibuſdam videbitur, quòd ad mulierum oſcula admittãtur, cùm intus corruptis humoribus grauiſſimam ore mephitim exhalent. Sanè habent, habent, inquã, iſti ſycophantæ antidotum, qua puellis facilè imponant: paſtillos enim ex ſuaueolentibus condimentis confectos aſſiduè manibus ſuis ita rotant, vt ab imprudentibus non facilè teter faucium vapor percipiatur. Poſthume non bene olet, qui bene ſemper olet. Porrò cùm ſit, vti diximus, hic morbus tam multis iam nationibus propè domeſticus; nullam tamen reperias, quæ nominis etymologiam ſibi adſcribi patiatur. Gallus morbum Neapolitanum, ſeu Parthenopæum, Italus Gallicum, quemadmodum & Hiſpanus: at Germanus Hiſpanam ſcabiem appellat. Sed cùm hæc dira lues non Europam modò, verùm & Aſiam, & Africam inuaſerit, non inſcito, neque inepto nomine Blaſius quidam Holerius in libello ſuo de morborum curandorum inſtitutione, κοσμικὸν, hoc eſt, mundanum mihi nominaſſe videtur. Quocunque tamen vocetur nomine, poſtquam de re ipſa nulla exiſtat controuerſia, hîc multum mihi laborandum non exiſtimaui. Quare ad ſecundam noſtri inſtituti partem, quæ huius morbi corpus affligentis ſigna proditura eſt, tranſire conſultius nobis viſum eſt. Præpollet enim multis modis ſuperiori & vbertate, & vtilitate: quia nanque malum niſi cognitum, declinare nequimus, pedibus, manibuſque, imò to-

to corpore nobis adnitendum eſt, vt quæ notæ tabem iſtam aperire poſſint, non omninò ignari ſimus, ſiue ab eo iam inquinati, ſiue ab eo adhuc immunes. Quiſquis enim in vrticetum iſtud corruerit, niſi tempeſtiuè depoſito omni pudore ſeſe perito medico patefaciat, periculum eſt, ne partibus, quas vocant principes, labefactatis, tandem in tabem incurabilem incidat, vnde præproperè ſequatur mors, aut vita morte calamitoſior. Quòd ſi qui continentes ita hactenus vixerint, vt malus iſte hoſpes nondum apud eos diuerſatus ſit, quid illis debeat prius eſſe? quid antiquius? (cùm ſit hic morbus maximè contagioſus) quàm indicia quædam habere familiaria, quorum beneficio tam crudelem beluam aduentantem tectis ſuis depellere, atque arcere queant? Adde quòd quidam medici, atque chirurgi nomine indigni, malè affectos ad ſe venientes ſæpe mentiantur hac labe correptos, quò nummorum maiorem copiam emungant; quorum impoſturis facilè occurreris, ſi morbi ſigna non ignoraueris. quæ ſunt huiuſmodi. Ægri pudenda puſtulis quibuſdam cruſtoſis, ſiccis, & interdum etiam ſanioſis inficiuntur. Bubones nunc in dextro, nunc in ſiniſtro, ſæpe in vtroque inguine inſurgere percipiuntur, quos Galli caballos, in re tam ſeria ludentes, appellitãt; propterea quòd quem bubones inuaſerunt, is incedere nequeat, niſi ita diuaricatis tibijs, vt caballo inſidere videatur. Sed ad ſigna reuertor. In fronte, item & circa capillorum radices papulæ quædam tanquam gemmulæ pyropi, aut tanquam exanthemata, ijs ſimilia, quæ ab igne excitantur, erumpunt, & quaſi effloreſcunt. caput verò grauedine moleſta affligitur: dolores præſertim nocturni,

cum

cum colli, & ſcapularum cruciatibus, qui temporis progreſſu ad brachiorum, & crurum iuncturas dilabuntur, inſurgunt. Adſunt & cum doloribus tumores quidam præter naturam in ipſis articulis, qui difficulter admodum reſoluuntur, & rarò ad ſuppurationem perduci poſſunt. Cæterùm non videbitur, opinor, omninò πάρεργον, ſi qui colores in ſupradictis puſtulis, & abſceſſibus imprimantur, hîc aperuerimus; quod quidem vt debitè præſtemus, de humorum qualitatibus, à quarum corruptione iſte morbus originem accipiat, priùs dicendum nobis fuerit. Conſtat autem apud medicos eũ ex quatuor humorum corruptela, ſanguinis videlicet, pituitæ, & vtriuſque bilis ſcaturire poſſe: ſed tamen ferè ſemper eſt vnus aliquis, qui reliquis altiùs caput erigit. Si itaque ſanguis principatum obtineat, abceſſus in inguinibus, quæ Græci apoſtemata dicunt, rubentes, & calidi, nonnihilque intumeſcentes exoriuntur, qui continuam ſæpe febrim ęgroto pariunt. Puſtulæ autem, quæ circa collum potiſſimè, & frontem eminent, ſubtumidæ, & rubentes erunt, quemadmodum & oculi ipſi. nec ea tantùm ſigna ſanguinis exuperantiam indicabunt: ſed etiam venarum intenſio. deinde ab hora noctis nona, vſque in tertiam diei horam ægrotanti labores incrudeſcent. Si verò bilis flaua dominatrix in corpore exiſtat, ea cum pudenda expugnauerit, vlcere ſtatim virulento, ſerpenti, carioſo, cum ſummo rubore, & inflammatione debacchatur. Puſtulæ autem, quæ ſe exteriùs egerent, citrinum colorem referunt: & à tertia potiſſimùm diei hora, vſque ad ſequentem nonam dolor ingraueſcere ſentietur. Quòd ſi pituita redundantiæ imperiũ obtineat, rariùs puſtu-

læ per corporis habitum viſuntur, eò quòd pituitæ ea ſit natura(Galeni 6.aphor.teſtimonio)vt magis ad iuncturas defluat.vnde omnium iuncturarum, & articulorum incredibiles exoriuntur cruciatus,qui occiput maximè,tibiasque infeſtant, atque à tertia noctis hora vſque ad nonam mirè ægrum excarnificāt. Si verò bilis atra imperium exerceat, ſupercilia, cranium,brachia,pernasque tuberibus calloſis, & apoſtematibus,quæ Græci τὺς σκίῤῥυς dicunt, non diſſimilibus infeſtari duriter videbis.Puſtulę autē liuentes verrucarum ſpeciem repręſentant.Color laborantis cineritius,& plumbeus exiſtit. Hinc thoracis inflammatio,vētriculi imbecillitas,ſplenis grauitas,& durities,acidi ructus,pedum tumores, crurum varices,& alia quàm plurima mala longo agmine adrepentia miſerum ægri corpus aggrauabunt. quin excrementa ipſa triſti nigrore infecta deijciētur. Atque hæc quidē de iſta lue inquinatorum ſignis ſufficere poſſe videbantur,niſi & aliud quoddam reſtaret(tametſi nullam neceſſitatē inferat)quod & ego, & vos ſæpe experti eſtis. Illud autem eſt, quòd ſuaues iſti Veneris milites hominū ſanorum cōmercia, & propiora colloquia aſſiduè venentur,& inter colloquendum ita propinquè faciem admoueāt, vt olidum virus,quod in ore natum eſt,in noſtras fauces euomere velle videantur.Vnde tam iucundum, & amœnū plerunque odorem percipimus, quàm ſi vetulæ baghuttæ recens oletum nares noſtras oppugnet.Sed iam vtcunque morbi ſignis à nobis proditis ad tertiam noſtræ declamationis partem, nimirum curationem,vt ſeſe deflectat oratio,tempus poſtulare videtur.neque tamen velim,vt minutim ſingulas antidotos,& pharmacorum temperaturas nos vobis tractaturos

ctaturos exſpectetis : cùm id opus eſſet longè prolixius, quàm temporis mihi cõceſſi ratio pateretur, & inutiliter propè vocabulorum horridulorum congerie me obtuſurum vobis aures perſuaſum haberem. Quapropter ſumma ſequar tantùm faſtigia rerum, contentus ea attingere, quæ nullo negotio intelligatis, & vnde emolumẽti nonnihil ad vos deriuari poſſit. Quem igitur huius affectus ſuſpicio inuaſerit, ſignisque nuper rite perpenſis admonitus fuerit, citra dilationem, aut moram vllam medico non inerti, nõ obtuſæ naris, non analphabeto (cuiuſmodi plerunque ſunt omnes, qui huius morbi curationem profitentur) ſed litteris, & ingenij dexteritate prædito, ſeſe perfricta fronte, & facie denudabit, morbi ſui circunſtantias omnes ei aperiens, nihilque eum celans de ijs, quæ ad mali ſui cognitionem facere poſſint. Nam ſi vſpiam parænesis iſta,

Principijs obſta, ſerò medicina paratur;

Dum mala per longas inualuere moras,

in hoc ſanè morbi genere locũ maximè habitura eſt. Quoniam ſi tempore labente altiores in corpore radices eum agere permiſeris, tam certò credas, quàm ſi me audias folium recitare Sybillæ, ita profundè in corporis penetralia ſeſe reconditurum, partibusque internis ita tenaciter hæſurum, vt poſtea medici induſtria placari quidem, extirpari haud temere poſſit. ne ſi Apollo quidem pharmaca omnia ſua attulerit, adeò inueteratum iſtud malum humanæ naturæ aduerſum eſt, & noxium. Porrò adhuc recens, & maximè quòd ſyncerum offenderit laborantis ſanguinẽ, non difficili negotio è corpore omninò profligari à medico non indocto, atque exterminari poterit. Nã & ſi morbũ hunc nouum eſſe, noſtræ memoriæ pro-

pè

pè medici omnes apertè fateantur,& proinde medicos omnes, chirurgosque initiò perſpecta mali prauitas valde attonitos reddiderit: induſtria tamen, & ingenio(Credo equidem auxiliũ Diuûm monſtrante ſupremo) eò tandem penetrarunt, vt quæ eſſet huius ſæuientis monſtri eſſentia, penitiùs cognoſcerent; qua cognita cauſam amouerent; atque ea amota hominem priſtinæ ſanitati reſtituerent. Vidimus ipſi, & familiariter nouimus in Louanienſi academia chirurgum quendam inſulenſem Franciſcum Stephanum, qui dum olim adhuc adoleſcens Louanij arti ſuæ daret operam, morbi huius radicem neſcio cuiuſmodi aqua(neque enim id quenquam mortalium docere volebat) in vitrea ampulla inter prunas ſine flamma diutilè cocta,extirpauerit. Mentior, niſi ſimile quiddam medicorum excellentiſſimus Petrus Andr. Matthiolus tradat de potu quodam, quem ipſe ſecretum appellare conſueuerat, quo morbum Gallicum nuper contractum ſe creberrimè curauiſſe grauiter affirmet, ex quocunque etiam humore indiſcriminatim conflatum. Alioqui idem auctor aqua,[f] quæ philoſophica nuncupatur, affectum hunc facilè poſſe depelli, indubitanter aſſeuerat. Quid verò de ligno illo, quod propter energiam, quam producit, diuinam ἁγιόξυλον, id eſt ſanctum lignum appellatum eſt, dicturi ſumus? certè vno ore præſtantiſſimi quique medici huius vnius virtute morbo Gallico correptum in corporis integritatem redire poſſe, modò tamen noxiæ materiæ præparatio, & coueniens expurgatio anteceſſerit, profitentur. quo fit, vt non iniuria Hieronymum quendam Fracaſtorium medicum inſignem,poëtamque nobilem, poſtquam in huius

ligni

ligni laudes longè,latèque exſpatiatus eſſet, credam entheo quodam furore agitatum in ſua Syphilide exclamaſſe:

Salue magna Deûm manibus ſata ſemine ſacro
Pulcra comis,ſpectata nouis virtutibus arbos,
Spes hominū,externi decus,& noua gloria mundi.

Sunt tamen apozemata quædam,olea,vnguenta,cataplaſmata,& nonulla alia antidota, quibus omninò ſit opus ad iſtius mali, præſertim vtcūque adulti depulſionem: quorum cùm vberrimam tibi ſuppeditent complurium medicorum libri copiam, abſurdū fore putaui,& vobis tædioſum,ſi eis deſcribendis veſtras aures onerarem; cùm pleraque verbis ſcateant horridis,& exoticis,neque eorum, niſi præſcribente perito medico,vobis vllus vſus eſſe poſſit. Familiariora autem ſunt, nec minùs tamen neceſſaria, quæ de rerum non naturalium obſeruantia medici tradiderunt. Sunt autem illæ numero ſex: nimirum aër,cibus & potus,motus & quies, ſomnus & vigilia,excretio & retentio, atque animi affectus, qui à Galeno, & alijs Græcis παθήματα ſimpliciter, & cum adiectione παθήματα τῆς ψυχῆς nominantur. hæc autem medicorum ſcholæ Res non naturales appellāt (vt hoc obiter dicam) eò quòd ad naturam noſtram, ſeu corporis conſtitutionem nhil faciant; ſiniſtrè tamen aut dextrè adhibitæ vel officiūt, vel humanæ naturæ conducunt. In his verò quid obſeruandum cenſuerint medici, breuiter dicemus. Curando igitur aër, atque anni tempus prudenter ſeligenda ſunt. Cùm enim anni partes conſtituantur quatuor, in eis ver curationi maximè eſt accommodum, propterea quòd reliquæ partes plerunque aliqua vehementi qualitate exuperent, qua aërem ipſum afficiunt,

ciunt,quem moderatũ in calore, & humore (cuiuſmodi ſine cõtrouerſia vernum aërẽ omnes eſſe prædicant)ad hanc curationem eſſe conueniebat.atque ob id habitationes , quæ ſunt frigidæ,& pluuijs obnoxiæ,fontes limoſi, ſtagna,lacus,flumina inundantia,& paludes maximè ſunt fugienda : quia ijs inficitur aër,quo plurimorum aliorum morborum vehes nobis adducuntur. Cibus autem, & potus non minorem curam,quàm ipſe aër, requirunt:eò quòd(vt inquit Haly) illa corpus noſtrum multis mutationis ſpeciebus immutent.Sit ergo panis non calidus, nec vetuſtatem trium dierum excedens ; ſit bene coctus, & fermentatus,modicèque ſalitus, & ex optimo grano ſubactus.Carnibus verò ęger vtatur paucarum ſuperfluitatum, cuiuſmodi ſunt vitulina, hœdina, caprilla,quas ſequuntur gallinarum , caponum,perdicum,turturum,phaſianorum, turdorumque carnes. ſed potius elixæ,quàm aſſæ eſitari debent, propterea quòd faciliùs concoquantur.Quòd ſi occaſio ſeſe offerat,vt piſcibus veſcẽdum ſit,curet, vt ſaxatiles ſint, ſquamoſi,& in ſynceris aquis degentes; potu autẽ vtatur vinoſo.Sed cautio eſſe debet, ne vinũ nimiũ ſit dulce:quia tale parit in corpore oppilationes; neque etiam nouum,quia id ebullitionẽ humorum, & dyſenteriam generat ; ſit igitur medium inter antiquũ, & nouum; ſit boni odoris,& ſaporis. Inſuper, vt id vniuerſaliter dicam, cena prãdio ſit ſemper parcior, euiteturque cùm inanitio, tum plenitudo: illa enim corpus ita atteriuat, vt morbi doloribus æger par eſſe non poſſit; hæc verò (vt Galenus ſecundo de accidenti,& morbo ſcripſit) morborum frigidorum cauſa exiſtit.Quare optimè diuinus ille Hippocrat.protulit ſectionis ſecundæ aphor.4. Non ſatietas , non

fames, neque aliud quicquam, quod naturæ modum excedat, bonum. Quòd autem ad ſomnum, & vigiliam attinet, nihil aliud dicturi ſumus, niſi vt tanquam ex tripode reſponſo, fidem æger habeat Hippocrati ſectionis ſecundæ, aphor. tertio dicenti: Somnus, vigilia, vtraque ſi immoderata exiſtunt, malum: vigiliæ enim vehementer exſiccant corpus; ſomnus autem æquo longior prauis humoribus gignendis eſt fomentum. ſi tamen in alterutrum peccandum ſit, diuturniore ſomno, quàm vigilijs minùs offendetur. Meridianum tamẽ ſomnum tanquã maximam perniciẽ fugere oportet, niſi forſitan præcedẽte nocte omninò æger dormire nequiuerit. Motus verò, ſi moderatus ſit, probari videtur, modò ante cibum ſuſcipiatur, iuxta Hippocratis ſexto Epidimiarum, ſectionis quartæ aphor. vltimum hunc: πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, hoc eſt, labores cibos antecedant. declinare tamen ad ſuperfluam quietẽ, quàm ad vehementiorem motum ſatius eſt: imò quando pharmaca traduntur, omnino exercitijs abſtinere cõuenit. Vitanda eſt inſuper ira, triſtitia, timor, ſolicitudo: contrà lætari, bene de ſalute ſua ſperare, & cum amiculis conuerſari ſolantibus, mirè conducit; ſiquidem

Anxia mens non ipſa ſibi, non rebus agendis
Conſtat, ab hac vitium corpora ſæpe trahunt;
Hinc variæ peſtes, morborum hinc mille figuræ:
Crede animum noſtri corporis eſſe ducem.
Sæpe graues iſta veniunt ex arce labores,
Sicut ab aërijs peſtilis aura plagis.

Denique (vt tandem ad vltimam rem non naturalem deueniamus) diligenter curet æger, vt ventrem lubricũ habeat, ſi non natura, certè artificio, & me-

dici induſtria. Venerem autem tanquam peſtem in vltimas terras relegare oportet: nihil enim eſt nociuum magis. ſi tamen ab ea omnino abſtineri non poſſit, videndum eſt, ne ea, niſi vltima concoctione peracta, aduocetur. Reſtat modò vt memores eorum, quæ in frontiſpicio ſumus polliciti, rationes aliquas tradamus, quibus hanc contagem, qua triſtius haud vllum monſtrum, nec ſæuior vlla peſtis, & ira Deûm Stygijs ſeſe extulit vndis, deuitare poſſimus. nam etſi ex concubitu potiſſimum ſcaturiginem habeat: cùm tamen & continentiſſimi in iſtam Scyllam incidere poſſint, accurata præcautione quis eſſe opus inficiabitur? nam adeò præſens venenū fouet iſta peſtis, & tam multas reperit vias, quibus, proh dolor, in corpus humanum, & in id ſolum (cætera enim animalia ab hac lue immunia eſſe aſſerūt) irrepat, vt incautos quaſi poſitis inſidijs, facilè opprimat: per contactum ſiquidem, etiam ſine vllo vſu Venereo, maximè ſudore per aërem ex corpore diffuſo ipſius laborantis: per veſtimenta, præſertim linea, quæ cutem contegunt: per cibum, in quem affectus halitum euomuerit, aut gingiuis putrilagine corruptis contigerit: per potum ex eodem calice ſumptum: per oſculum in amoris ſpeciem exhibitum, & alia his affinia in hominum præcordia hæc dira peſtis illabitur. Quare ea omnia ſuſpecta habere debet, quiſquis colloquium, aut conſuetudinem cum infecto habere coactus fuerit. ſiquidem aſſerit Nico. Maſſa medicorum non infimus, ſe inter alios amicum quendam ſuum curaſſe, qui per ſolum contactum linteaminum, in quibus quidam, qui in crure hulcus Neapolitanū habebat, ſe dormiturus compoſuerat. Quocirca conſultiſſimè mihi facere viden-

tur

tur mercatores, & viatores noſtrates, qui dum foris peregrinantur, diligenti indagine perſcrutantur num munda, recensque lota ſint lintea, in quibus iacere debeant; quinimo oculis ſuis, ſuorumque diuerſoriorum præfectis diffidentes, allato per ſeruitia faſci coculario ea diligenter exponunt, & tam diu protendunt, dum virtute attractoria ipſius ignis, quicquid ineſſe poterat contagij ſudorifici, eductum ſibi perſuaſerint. Euenit tamen vt alijs alij faciliùs, & citiùs hoc malo corripiantur. melancholici enim ſiue per muliebrem amplexum, ſiue per ſolam concontagem faciliùs inquinari poſſunt propter morbi ſimilitudinem, cùm ille ſit maximè ſiccus; deinde qui corpora habent delicata, & rara: ſed omnium velociſſimè, qui corpus prauis humoribus habent oppletum: cùm etenim huius morbi officina, ſeu, vt ipſi vocant, minera, ſit hepar, cuius munus eſt quatuor ipſos humores procreare, ſi ipſum priùs malè affectum fuerit, ſequitur facillimè hac infectione imbui poſſe. Cæterùm ad milites iſtos Cupidineos, qui pruritu quodam libidinoſo ardentes, amplexus meretricios difficulter euitare queunt, priuſquam finiamus, deueniendum eſt: nam & illis quoque præcautionis aliquæ rationes præſcribendæ ſunt. Cùm igitur effrenis ille ardor in præcordia, & medullas ſeſe inſinuauerit, ſubeat mentē illorum iubeo, quàm multis calamitatibus hominum tota vita ſit obnoxia. miſera, & ſordida eſt natiuitas, laborioſa educatio, multis iniurijs expoſita pueritia, plurimis ſudoribus onerata iuuentus, grauiſſima ſenectus, duriſſima denique mortis neceſſitas: taceo multorum morborum vltro irrepentium agmina: taceo infeſtam paupertatem, infamiam, pudorem, tormenta,

insidias, conuiria, lites, contumelias; quæ ſanè omnia, etſi mirum in modum grauia, moleſtaque quilibet ſanæ mentis cogatur fateri, ſi tamē ad amuſſim perpenſa, aut ad trutinam examinata fuerint, ea dubio procul execranda iſta lues longè exuperat, quam tamen iſti inſani, & amentes ſuo iumento accerſunt, & ſæpe magno redimunt: ſed vbi eam nacti ſunt, quid aliud (vt non inſcitè dixit quidam) quam viuū cadauer gerunt? Porrò audire mihi iam videor in hoc cœtu adoleſcentes quoſdam planè Veneris filios obſtrepentes ſe nonnunquam conſodalium ſuorum perſuaſionibus propè ineuitabilibus ad fornices pertrahi, interdum etiam, vbi Bacchus (ſine quo frigere Venerem meritò dixit Comicus) pluſquam dimidium mentis illis abſtulerit, eò rapi, & ſe tum imprudentes in ſpurcarum luparum barathrum impurum prolabi. age, his quoque medeamur. Imprimis igitur edocti à nobis ſigna ſuprà indicata, videāt, ſi fieri poſſit, vt rem cum non infecta habeant. quòd ſi ne id quidem cauere poterunt, ſimulatque flagitioſam ſuam libidinē expleuerint, pudenda aqua calida, aut vino (quod melius, ſed imparabilius eſt) candido ablui ſolicitè curent: hac enim ablutione peſtifer ille humor pudendis inſidens conſumetur, exterminabiturque. Longè tamen tutior (vt illud tandem coronidis vice addam) & ſalubrior antidotus foret, ab iſtis horrēdis lathomijs pedem referre, meretricū laſciuiam cane peiùs, & angue odiſſe, oculorū petulantiam, corporis illecebroſum geſtum, ſermonum blanditias, crines criſpos, labra inſidiosè ridentia, mammillas ad alliciendum compoſitas in tempore diſcere aſpernari: baſia, ſuauia, contactus, oppreſſiunculas, affrictiones, luctas, reliquaſque omnes

nes captiosas blanditias, quibus puellæ incautos amatores in suam nassam sæpe pertrahunt, veluti fimum despicatui habere: denique sibi adolescentes illos apud Menandrum imitandos proponere, qui, dum inter pocula leno quidã impurus illis insidias, formosas aliquot, & bene cultas meretrices producendo, moliretur, in sese demissis oculis arrodebant bellaria, ne ausi quidem illos in eas deflectere. Ista sanè, atque eis similia si in animum non grauatim demittatis, altasque radices agere permittatis, à damnosæ Veneris stimulo facilè vos liberabitis, & asseretis; cùm præsertim breuis illa titillatio aliud sit nihil (vt rectè dixit Socrates) quàm morbi comitialis quædam species, à qua grauissimè corpus humanum labefactari experimur. Quocirca meritò Pithagoram interrogatum à quodam, quando cum femina esset congrediendum, respondisse ferunt: Cùm voles teipso fieri debilior. cuius quidem rei non ignarus Demosthenes, Laidem accedens, eius noctem (vt elegantissimè Gellius in suis Atticis noctibus refert) expetiturus, concubitum pænitudinem appellauit. sed ipsius egregij scriptoris vti verbis libitum est: quia & lepore, & iucunditate, quibus in narrando vsus est, vobis gratissima fore existimaui. Ad ipsam, inquit, Laidem ille Demosthenes clanculum adit, & vt sibi sui copiam faceret, petit: at Lais decem millia drachmarum (quæ faciunt nostræ monetæ mille coronatos) poposcit. tali autem petulantia mulieris, atque pecuniæ magnitudine ictus, expauidusque Demosthenes, auertit iter, & discedens οὐκ ὠνοῦμαι, inquit, μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν, hoc est, non emo decem millibus drachmarum pænitudinem. Posteaquã igi-

tur, auditores optimi, huius horrendi morbi adeò turpem originem, notas fœdas, curationem molestam, & aleæ plenam, præcautionem periculoſam intellexiſtis, obſecro, aut ſi patiamini, moneo, vt procul à vobis hanc deformem, & ſanioſam pſoram arceatis, hanc in barathrum, in ſterquilinium, in foricas proijciatis, ac proſcribatis, ne tam exitiali ſcabie correpti, toto vitæ curriculo doleatis. Dixi.

In hoc libro nihil eſt, quod ſit contra fidem, religionem, aut bonos mores: ſed ſolùm tractat ea, quæ concernunt medicinam, id'que valde doctè; quare meo iudicio imprimi poterit. Ita atteſtor ego

Ioannnes à fine Plebanus Antuerpienſis.

EXCVDEBAT ANTVERPIÆ CHRISTO-
PHORVS PLANTINVS ANNO M. D.
LXV. V. IDVS MARTII.